aliorum infirmitatibus debeant condolere. Væ igitur Chriſtianis ſenſu carentibus, qui pauperum miſerias intuentur, quin dolore afficiantur & interim vivunt in bonorum omnium affluentia, & copia omnium vitæ cupiditatum. Nequicquam in exteriori pietatis praxi conquieſcunt. Caritas J. C. ſine qua cetera nil aliud ſunt, quam illuſio, in eorum animabus non regnat, eo quod fratrum ſuorum neceſſitatibus non afficiuntur. Senſus eorum Apoſtoli ſenſibus adverſantur. Sunt profecto, qui pauperibus ferunt opem, qui mœrentes conſolantur igneis quidem verbis, ſed ferreo corde patientiam ſuadentes. S. Martinus abſolutiſſimum fuit compatientis hujus caritatis erga proximi miſerias exemplum; & hac ratione ſanctificavit ſtatum illum, in quo qui impliciti ſunt nunquam putant ſe illum cum honore exercere poſſe, niſi habeant viſcera ferrea, & manus ſanguine, & rapinis oppletas. *Specimen Panegyricorum.*

Triumphat de dæmonibus. Cum dæmon infenſiſſimus ſit humani generis inimicus, facilis patet conjectura, ſi ipſum Jeſum Chriſtum tentare auſus eſt, nunquam defuiſſe quo minus ſervis quoque illius necteret inſidias. S. Martinus immunis non fuit; ſpiritus tenebrarum apertum illi bellum indixit, conatus eſt in ejus animam aliquos vanitatis ſenſus immittere. Hoc juxta Patrum ſententiam, vitium eſt præ ceteris magis metuendum, atque S. Bernardus inter ceteros ita illud deſcribit: *Leviter volat, leviter penetrat, ſed non leve vulnus infligit: cito interficit.* Nihil intentatum reliquit diabolus, ut S. Martinum in ſuperbiæ ſenſus pertraheret, & funeſta hac illuſione deciperet. Spiritus hic perditionis obtulit ſeſe Sancto Præſuli luminibus circum undique radiantem ſub Regis ſpecie, & cum magnifico apparatu; dixitque illi ſe mundi Salvatorem eſſe, & voluiſſe iterum de Cælis in terras deſcendere, ut hoc præberet amoris erga illum ſui monumentum. Verum Sanctus Vir gratiæ lumine illuſtratus detectis maligni ſpiritus technis dicens, ſe non poſſe pro Jeſu C. habere, qui paſſionis illius ſigna non deferret, & eum qui renidebat in ea luce, quæ prorſus erat oppoſita ſtatui humiliationis, atque paſſionis, in quo Dei Filius omnibus generatim hominibus, & ſingillatim pluribus famulis ſuis ſe voluerat oſtendere. Ad quæ verba Sycophanta ille ſtatim evanuit, & pudore ſuffuſus diſceſſit. *Ex Specimine Panegyricorum.*

Ejus patientia in contradictionibus, & injuriis perferendis. Quemadmodum ſanctus Antiſtes in dies magis in perfectione proficere adnitebatur, patientiæ virtutem ſupremo in gradu poſſidebat: ſincere & ſine fuco amabat eos, qui ipſum perſequebantur; ſed illi, qui nomini illius labem offundere quærebant, ut plurimum erant Eccleſiaſtici, qui ſuſtinere æquo non poterant animo vitia ſua, quæ tacite exprobrabantur a ſanctitate vitæ eximii hujus Paſtoris; & miracula ejus irridebant, eum tanquam hypocritam traducentes! Unus autem ex illis, qui præ ceteris illius patientiam exercuerunt, Bricius fuit, ex numero Clericorum ejus, qui ſemper erat Sancto Præſuli infenſus. Verum quin hic ſuccenſeret unquam huic adoleſcenti, præ aliis impenſius dilexit, & ad litteram obſervans Apoſtoli conſilium, vincens in bono malum tanto ardore pro inimico quietis ſuæ Deo preces effudit, ut tandem ab illo ejus converſionem impetraverit, ita ut pravus ille adoleſcens deinceps meritus fuerit, ut in Sanctorum albo deſcriberetur. *Recens auctor.*

Juges Sancti Præſulis mortificationes. Sanctus Epiſcopus noſter licet tot laboribus, curis, vigiliis ſemper conficeretur, ut regnum Dei promoveret in animabus, accuratiſſimum ſervabat jejunium uſque ad noctis initium, & poſtquam diem in labore traduxerat quin quidquam eſculenti, vel poculenti caperet, modico veſcebatur pane, & aqua brevi, minus ut novas corpori vires adderet, quam ut recentes auſteritates ſuſtineret. Toto vitæ tempore cilicio indutus fuit, & cum prope morituro Diſcipuli ſui illum hortabantur, ut illud abjiceret, præclaram hanc illis tradidit reſponſionem: Chriſtiano vivendum, & moriendum eſſe in cinere, & cilicio. De hoc Præſule dicere poſſumus, illum pro Chriſto Jeſu ſuſtinuiſſe opprobria, irriſiones, perſecutiones, & ſuperadditis jugibus mortificationibus, ipſum corpori ſuo centum aſſidua inflixiſſe martyria, cum nonniſi radicibus veſceretur, nonniſi in matta cubaret, cui cum ſemel adhæſiſſet ignis, prope fuit, ut tanquam holocauſtum abſumeretur, niſi oratione ſua ignem illico extinxiſſet. Denique conſtat, ſi defuit illi Martyrium, amorem ſuum in tyrannorum locum ſubiiſſe, & effeciſſe, ut diuturnum præferret Martyrium ſubigendo corpus omni auſteritatum genere, jejuniis, vigiliis, ciliciis; & aſſeri poteſt, ſi minus mortem ſubiit per carnificum manus, illum ſeſe obtuliſſe Deo adeo diuturnis paſſionibus tanquam viventem hoſtiam, in odorem ſuavitatis. *Ex P. Novet, & ex ſpecimine Orationum Panegyricarum.*

Interior illius mortificatio. Sanctus Noſter jugiter in corpore ſuo circumferebat inſignia Dominicæ paſſionis per carnis ſuæ mortificationem, ut ſuppleret iis, quæ deerant paſſionum Chriſti, juxta S. Pauli verba, ſed non minus mortificatus erat ſecundum ſpiritum, quem ut ita dicam cum omnibus cupiditatibus crucifixerat, idque ita perfecte ut dici poſſit, illum non amplius ſibi vixiſſe, ſed amorem Jeſu Chriſti vitam eſſe animæ ſuæ. Semper rebus in omnibus ſeu conſiliis ejus adverſarentur, ſeu faverent, ſibi conſtabat, ſibique ſimilis erat. Vita, mors, bona, vel mala valetudo, inopinati caſus, Divitum favores, infimorum laudes, omnia denique, undecumque proficiſcerentur, nullo ipſi erant in diſcrimine, quia nonniſi Dei beneplacitum perquirebat, quod ſolus erat votorum ejus Canon, & omnium motuum ſui cordis principium. *Pater Novet.*

Jure Eccleſia S. Martinum Martyribus Parem facit. Jeſu Chriſti amor ex magno hoc Antiſtite admirabilem Confeſſorem fecit in triplici vitæ ſuæ ſtatu, Equitis videlicet, Cœnobitæ, & Epiſcopi. Amor idem ex eo martyrem fecit in morte; hanc enim laudem illi tribuit Eccleſia. *O ſanctiſſima anima! quam & ſi gladius perſecutoris non abſtulit, palmam tamen martyrii non amiſit.* Non eo quod Sanctus noſter Martyrum mortem ſubierit, ſed quod in amore martyrii mortuus fuerit, idque triplici ratione. Primum, quia ſæpe ſe obtulit Martyrio, ut Severus Sulpicius inquit. *Quia voto, atque virtutibus, potuit eſſe Martyr, & voluit.* Quia ſi virtutes ejus ſpectantur, ſatis ſuperque virium, ac roboris habebat, ut Martyrium ſuſtinere poſſet; & ſi vota illius reſpiciuntur, ſatis ardoris habebat, ut vellet. Si enim tyrannorum ævo fuiſſet, Cæli, terræque Deum teſtor, idem Auctor ait, ultro patibulum aſcendiſſet, ibique Domino laudes tanta lætitia ceciniſſet, qua pueri in Babylonica fornace pſallebant. Secundo quia non minus, quam Martyres paſſus eſt, licet non ut illi inter cruciatus efflaverit ſpiritum. Non modicum temporis ſpatium requireretur, S. Bernardus ait, ad enarrandas perſecutiones, quas pro juſtitia ſuſtinuit. Quoties mortem præſentem conſpexit, quin illam metueret? Nonne nocte quadam in carcerem detruſus fuit, ſub Juliano, ut craſtina die Barbarorum furori objiceretur? Nonne aliquando, cum Alpes pertranſiret, prope fuit ut latronis manu interficeretur? Nonne alia vice parum abfuit ut prædonis manu conficeretur, qui jam brachium extulerat, ut illum mactaret? Nonne contumelioſe ab Hæreticis virgis cæſus fuit? Impius Auxentius nonne maledictis, & injuriis male mulctatum Mediolano ejecit? Tertio ipſe ille corpus ſuum crucifixit; ac ſexcentis cruciatibus illud affecit; Propter has omnes cauſſas dubitandum non eſt, utrum Sanctus his præſul plures coronas mereatur; quoniam toties martyr fuit voluntatis per amorem ardentiſſimum, licet ne ſemel quidem fuerit reapſe per conſummatum effectum. *P. Novet.*

Ardens illius amor erga Salvatorem. Inſigne quidem teſtimonium Magno huic Præſuli univerſa perhibet Eccleſia, cum ait illum ex toto corde, ac viſceribus Jeſum Chriſtum dilexiſſe: *Totis viſceribus diligebat Chriſtum regem.* Jeſum Chriſtum in vita, & in morte dilexit. Vita illius fuit jugis exercitatio amoris, mors vero illius continuatio, ac ſignum. A puero omnia propter illum reliquit, recedens a parentibus, qui ipſum a fide abſterrere conabantur; & abrenuntians terrenis omnibus cogitationibus, ut Cælum duntaxat ſuſpiceret, ubi erat theſaurus ſuus. Omnia propter Salvatorem dono dedit, ipſum etiam pallii ſui dimidium. Omnia propter ipſum ſuſtinuit, opprobria, calumnias, perſecutiones. Omnia propter illum fecit, nam nihil cupiebat amplius, quam gloriam ſuam, qui unicus erat ſcopus omnium conſiliorum ſuorum, omnium actionum, laborum, & operum. Nihil illi videbatur arduum cum de honore Jeſu Chriſti, & animarum ſalute agebatur. Illum diligebat in pauperibus, & infirmis, quos incredibili benevolentia complectebatur. Illum in gravioribus etiam inimicis diligebat, de quibus nullas expetebat pœnas niſi per preces, jejunia & mortificationes, quibus plerumque utebatur, ut eos Jeſu Chriſto lucrifaceret, & in totidem Sanctos converteret. Illum diligebat in domeſticis, famuliſque, quibus ſæpe ille cum profunda humilitate ſerviebat. Illum in omnibus diligebat peccatoribus, pro quibus lacrimarum imbres fundebat. Denique cum amoris ſui objectum eſſet infinitum, ita nullis finibus caritatis ejus extenſio coarctabatur. Mirum igitur eſſe non debet, ſi crebro in Cælum attolleret oculos, quia ſacer ignis amoris Jeſu Chriſti, qui in ara cordis ejus ardebat non alium ei permittebat motum, qui ad illum non tenderet, & eum in æterni Regni ſui gloria non quæreret. *Idem.*

Contemptus terrenarum rerum; & ardens deſiderium ſeſe cum Deo conjungendi. Hiſtoria vitæ S. hujus Præſulis a Sulpicio Severo deſcripta docet ipſum ſemper defixos in Cælum oculos habuiſſe, quia terram aſpernabatur; ſuſpicere conſueviſſe optatiſſimam patriam ſuam, & horruiſſe locum exſilii ſui; illum mortem concupiiſſe quoniam pertæſum erat vitæ. Morbus illius affectiones non mutavit, tunc temporis idem ſemper fuit, qui toto vitæ ſuæ curriculo fuerat. Cum coactus fuit in lectulo diſcumbere, ſemper in eodem corporis ſitu permanſit, unde facilius videre poſſet locum, in quo ſuum erat cor, & amor ſuus, ut doceret Diſcipulos ſuos eum, qui diligit Filium Dei non timere mortem. Sed quodnam erat argumentum precum, votorumque ipſius? quid petebat a Deo in præmium præſtitæ ſervitutis? Mortem petebat, Cælum obteſtabatur, ut ex hoc carcere aliquando liberaretur, ut ſua confringeret vincula, & ipſe tandem adquireret libertatem Filiorum Dei: *Aſſidua Deum oratione precabatur, ut ſe ex illo mortali corpore liberaret. P. Senault ex Oratorio.*

Sanctus hic poſtquam ſe totum devovit pro ſalute populi ſui, aſſenſum præbet dilationi remunerationis ſuæ, ſi adhuc eſt populo ſuo neceſſarius. S. Martino ſatis non eſt amori populi ſui fortunæ bona ſacrificare, ſuis ſe exuens divitiis, ut illum alat, ſimulque Evangelici Verbi panem illi diſtribuat; donis etiam gratiæ abrenuntiat, abrenuntians ſolatiis ſolitudinis ſuæ ut illum erudiat; & quodammodo illi ſacrificat gloriæ bona, beatæque æternitatis deſiderium: cum enim præſto eſſet, ut migraret ad perfruendum viſione Dei per mortem, & circum ſe videret Diſcipulos ſuos, qui lacrimarum imbre fluentes ipſum obteſtantur, ne tam cito illos deſereret, miſeratione ductus, & ardenti plenus Caritate, præclara hæc protulit verba, quæ una illius elogium exornare poſſunt: *Domine, ſi adhuc populo tuo ſum neceſſarius, non recuſo laborem.* Magnus iſte vir toto vitæ ſuæ ſpatio Dei poſſeſſionem concupierat; Quemadmodum ſitiens cervus aquarum fontes deſiderat, ita anima illius ardenter beatum illud momentum anhelabat, quo iterum erat cum principio ſuo conjungendus. Tota vita laboraverat, ut ſupremum hoc ſibi bonum procuraret; tamen ubi videt Judicem ſuum præ manibus habentem juſtitiæ coronam, qua erat donandus; cum videt ſibi Cæleſtis Jeruſalem januas aperiri, beatoſque Spiritus occurrere ad recipiendam ſanctam animam ſuam triumphali pompa in Dei ſinum tranſferendam: patitur æquo animo adhuc in hac lacrimarum valle verſari, ut labores, ſudores, vigiliaſque ſuas populo impendat, ſi illi neceſſarius videatur. O virum admirabilem, exclamat Eccleſia. *O virum ineffabilem! qui nec mori timuit, nec vivere recuſavit!* Si hujus ſacrificii magnitudo æſtimetur, fatebitur quiſque, paucos eſſe, qui æquiori titulo meriti fuerint boni Paſtoris nomen, ſeſe immolantis pro ovibus ſuis, quam Sanctus hic, & non minoris fortitudinis eſſe in vita producenda propter heroicæ, perfectæque caritatis cauſſam, quam in morte ſubeunda pro ſidei propugnatione. *Specimen Orationum Panegyricarum.*

Caritas illum ſenſim abſumebat dum viveret, ſed in extremo vitæ momento generali perſonæ totius incendio fuit abſumptus. Si quando Caritas prorſus ardens Antiſtitis noſtri magis eniteſcere viſa eſt, id dubio procul accidit, cum a mundo illi fuit emigrandum. Toto quidem vitæ illius tempore effulſit, ſed præcipue in ipſo mortis articulo triumphavit de illius corde, & ſi omnes vitæ ejus actiones cum noviſſimo ſpiritu conferantur, facile conſtabit illas non aliud prorſus extitiſſe, quam exiguas ſcintillas magni illius ignis, quo cor ejus abſumebatur; hoc autem fuiſſe integrum totius incendium. Non ſatis illi fuit omnia vitæ ſuæ momenta impendiſſe pro grege ſuo, offert quoque pro illo mortem ſuam, & in ſupremo cordis anhelitu pro populi ſui neceſſitatibus deprecatur. Neque illi ſatis viſum eſt miſericordiæ ſuæ actus ultra mortem ipſam protuliſſe: immolat etiam ſaltem ad tempus aliquod diœceſis ſuæ bono ſpem gloriæ, & beatæ æternitatis affectum, hanc ſibi differri non ægre conſentiens. Hoc in ſtatu tener Paſtor hic moriens gravate relinquebat gregem ſuum; qui cum tali Paſtore indigeret, timendum erat, ne lupi rapaces illum opprimerent. Vivere non recuſo, ait ille, ſi hoc expedit veſtræ incolumitati. Haud ita Domine! non recuſo laborem ſi populo tuo ſum neceſſarius, produc adhuc dies peregrinationis meæ: ſi Providentiæ tuæ placet, beatitudinem me manentem differre non abnuo, ex toto corde conſentio, fiat voluntas tua. Patebat jam Sancto ſeni Cælum, & Cæleſtes Spiritus præſto erant, ut illi canerent Epinicion: ſed extremus populi ſui amor, quo gregem complectebatur, efficit ut pro illius ſalute beatum hoc momentum ſacrificet; quid dico? poſtquam dedit illi vitam, donat etiam illi quodammodo & Cælum, & gloriam. Nonne dici poſſet illum Caritatis terminos, quos Dei Filius conſtituerat, ſuperaſſe? Dixerat maximam caritatis perfectionem eſſe, ut quis vitam impenderet ſuam, & mortem pro amicis ſubiret: ſed Sanctus noſter ultra hos cancellos excedit; ovium ſuarum amori Cælum ipſum ſacrificat; quamdam ceſſionem facit gloriæ ſuæ, ut hanc illis procuret; ne ullum ſit in vita, in morte, & in ipſa immortalitate momentum, quo non exerceat miſericordiam ſuam. *P. Sennult ex Oratorio.*

Beata mors S. Præſulis, Ejus humilitas efficit, ut jubeat ſe in cinere collocari. Adeſt tandem felix illud, optatumque momentum majori cum impatientia expectatum, quam Sæculi Principes unquam perituras coronas petierint. Incidit in morbum, intelligit adeſſe tempus illud beatum, quo ſibi ex hac exſilii terra demigrandum eſt. Adſtat illi hac in extremitate inimicus conaturus, ut ſub horrentibus ſpectris illi timorem injiciat, vel aliquos in eo cieat ſenſus vanitatis; ſed nihil proficit Spiritus iſte tenebrarum, omneſque illius artes evaneſcunt. Sanctus vir ſe humi ſternit, & cineribus juſſit operiri, mori cupiens in eo pœnitentis ſtatu, in quo ſemper vixerat. Circum illum plorabant Diſcipuli & conquerentes, quod ab illo deſererentur, atque ut ita dicam traderentur luporum furori, qui ſtatim ad eos devorandos irruerent: Sanctus lacrimarum, & querelarum miſertus eſt. Senſit ille, uti Apoſtolus, longe aliis motibus agi, abeundi quidem ut ſeſe conjungeret Deo objecto amoris ſui, & adhuc in terra permanendi, ut deſerviret Eccleſiæ. Qua in re penitus divinæ Providentiæ conſiliis, ſeu in vitam, ſive in mortem ſeſe ſubjecit. Itaque neque mortem timuit, quod omnes homines reformidant, & vivere non recuſavit, quod paſſim Sancti viri recuſant. Teſtatus hoc pacto eſt, ſe malle ſalutem populi Dei, quam triumphum ſuum; prætulit labores prælii propter honorem Jeſu Chriſti, tranquillitati, quæ ſequitur victoriam. Sed ubi omnes incomparabiles vitæ ſuæ actiones heroico hoc Caritatis actu ſignavit, reddidit beatam animam illi, a quo diutius ſejunctus eſſe ferebat, niſi quod ille magis in ipſo, quam in ſemet vivere conſueverat. *Gaudeau.*

Moritur ergo Magnus hic Paſtor, & quamvis in morte requiem æternam inveniat, qui ſemper toto vitæ ſuæ ſpatio in laboribus vixerat; non abnuit tamen adhuc vivere, & laboribus frangi, ſi hoc neceſſe ſit ad Dei gloriam, & animarum ſalutem. Videri ne poteſt animus magis heroicus! Jeſus Chriſtus ipſe illi brachia tendit; præſto eſt, ut illum in gloriam recipiat, & magnus iſte Sanctus non abnuit adhuc ab eo ſeparari, quandiu divinæ intererit gloriæ. Sed divina Providentia operæ pretium exiſtimans de mundo recipere ſervum adeo fidelem, qui tot Idola proſtraverat, tot profana delubra ſolo æquaverat, tot peccatores converterat, tot Ethnicos ad veri Dei cognitionem perduxerat, tot Monaſteria ædificaverat, tandem ex hoc terreno incolatu recepit, ut eum corona redimitum triplici, Confeſſorum, Virginum, & Martyrum in æternam patriam inferret; cum æquiſſimum eſſet, ut qui vitam integram, ſceleriſque puram, & ſine labe ſervaverat, qui palam Jeſu Chriſti nomen coram tyrannis confeſſus fuerat, & Martyr fuerat voluntate, tandem trium horum ordinum, quorum vitam perfecte imitatus fuerat, coronam reciperet. *Sermo Manuſcriptus.*

PRO SANCTÆ CATHERINÆ VIRGINIS, ET MARTYRIS PANEGYRICO.

MONITUM:

Ntequam illuſtris Virgo Catherina Chriſtianam fidem amplecteretur; Ethnici gloriari poterant ſe in adoleſcentula, quæ tunc Ecates appellabatur, poſſidere portentum ingenii, ſcientiæ, & ſapientiæ; quæ animi dotes cum eximia forma conjunctæ efficiebant, ut ſexus ſui miraculum haberetur. Sed poſtquam ſacro abluta fuit baptiſmo, hæ dotes eædem plurimum contulerunt, ut illa ad eminentem aſſurgeret Sanctitatem, propter quam Eccleſiæ Græca ſimul, & Latina illam antonomaſtice Magnam vocarunt, quo titulo illi decorati ſunt, qui præclare factis, magnis victoriis, atque virtutibus claruerunt. Hinc mirum non debet eſſe, ſi ſupra ſexum ſuum evecta per pietatem, ac ingenium, Cæleſti gratia ſuffulta comparari poteſt cum Apoſtolis, ac Doctoribus, qui in majori zelo, ac lumine nituerunt, & cum generoſis Martyribus: unde licet conjicere, utrum defutura ſit copia ad tantæ Viraginis elogium elucubrandum.

Fateor equidem, me hoc in loco diſſimulare non poſſe indignationem meam contra criticos quoſdam, qui cenſoria nota perſtringentes Eccleſiæ ſenſus de hoc argumento, pluriumque ſæculorum traditionem, fabulis adſcribendum putant quidquid narratur de converſione, ac Martyrio ingentis illius numeri Philoſophorum, qui oppoſiti fuerunt ſimplici puellæ, ceteraſque circumſtantias, quæ Sanctam Catherinam ab aliis Virginibus ſimul & Martyribus ſecernunt, quibus ſublatis uberrimum hoc argumentum fieret maxime jejunum. Ut ergo elogium hoc benevertat, inhærendum eſt communi ſententiæ, & quicumque accedat ornatus fideli narrationi inſtituendæ de Martyrio adeo celebri, eximius evadet Panegyricus.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Multiplex Sermonum hujus Argumenti Synopſis.

Mulierem fortem quis inveniet? procul, & de ultimis finibus pretium ejus. Proverb. 31.

I. FŒdus hoc fortitudinis cum ſexu, qui ſemper habitus fuit imbecillior, procul dubio eſt ex earum rerum numero, quæ majorem cient admirationem; quandoquidem una ex iis rebus eſt, in quibus magis elucet Dei potentia, cum infirmioribus utitur inſtrumentis, ut majora operetur portenta. Verum eſt neſcio qua maligna voluptate per ſæcula numerentur, ut hoc nequaquam vulgare, & obvium eſſe oſtendatur: ſed nihilo ſecius confitendum eſt, ſi minus fortitudo mulierum character eſt, & dominans in illis virtus, uti virorum eſſe perhibetur: illas tamen ſemper maximis, & maxime heroicis virtutibus pares fuiſſe, tunc vero potiſſimum, cum Deus illis uti voluit ad majorem nominis ſui gloriam, & ſimul ad eorum confundendam ſuperbiam, qui illas contemnunt; ita ut quamtumvis rata eſſe velit earum exempla; illi tamen qui Martyrum vitas ſcripſere, ſatis multas inveniunt ad implenda volumina, quæ non ſolum

non ceſſerunt fortitudine ſtrenuiſſimis Martyribus, ſed quæ etiam victoriis ſuis oſtenderunt, nihil fortitudini ſuæ fuiſſe ſuperius. Jure autem hodierna die in hunc numerum cenſeo illuſtrem S. Catherinam, cui Deus tantum immiſit firmitatis, conſtantiæ, atque conſilii, ea in ætate, quæ nihil niſi inconſtantiam, & levitatem promittere videbatur, ut habitum fuerit miraculum fortitudinis, & virtutis prodigium. Hæc illuſtris erat Virgo genere, in idololatriæ ſuperſtitione innutrita, inter Ethnicæ religionis, & aulæ corruptionem educata; ſed quæ ingenii ſui vi, & conſtantiæ ſuæ firmitate eſſe poteſt exemplo ſexui utrique; quoniam cæleſti gratia roborata ingenii ſui viribus reſiſtere potuit iis omnibus, quæ ad illam fallendam aptiora videbantur, & viribus animi ſui iis, quæ magis erant terribilia, & ad eam labefactandam validiora. Itaque fert animus Elogium ejus complecti duobus hiſce præcipuis privilegiis, quibus ſexus ille a natura minus ornatus fuiſſe videtur.

1. Vim mentis, quæ in veritatis cognitione, & defenſione conſiſtit.

2. Vim cordis, in qua proprie conſiſtit animi magnitudo, quam minime frangit vel ſuppliciorum intuitus, vel mortis timor; quod vobis in duplici ſermonis parte me oſtenſurum polliceor, recipioque.

II. *Confitebor nomini tuo, Domine, quoniam adjutor, & protector factus mihi; & liberaſti cor meum a perditione, a verbo mendacii, & a Rege iniquo.* Eccleſ. 7. Omnes animæ magnæ, quæ propter J. C. gloriam, & pro Eccleſia tuenda ſanguinem ſuum effuderunt, factæ ſunt divini amoris objecta; non omnes vero eamdem in ipſius gloria partem nactæ ſunt, earumque coronæ, magis minuſve pretioſæ ſunt, prout earum victoriæ magis, minuſve illuſtres fuerunt. Inter eas autem, quæ in glorioſo hoc numero primas obtinent, neſcio, utrum aliqua inveniatur, quæ majora mereatur obſequia, quam ſancta Catherina. Hæc una divinis luminibus ſuis coruſcavit eo in ſexu, quem mundus inſcitiæ nomine inſimulare conſuevit; admirabili ratione per puritatem enituit inter impuros, & idolorum cultores; & tandem generoſe, & animo invicto ſæviſſima, ac teterrima ſubiit tormenta, quibus tenerum ac molle corpus ſuum diſcerptum fuit. Per Domini gratiam, & Jeſu Chriſti virtutem audacter fatetur nominis illius gloriam: *Confitebor nomini tuo, quoniam adjutor, & protector factus es mihi, & liberaſti corpus meum a perditione, a verbo mendacii, a Rege iniquo.* Quæ verba omnem præclaræ hujus Virginis vitam complectentia, diſtinguunt tres varias victorias, quas reportavit, & quæ hodie ſunt cauſſa glorioſi ejus triumphi.

1. Quia triumphum retulit de maximis mundanarum voluptatum illecebris per puritatem, contemptis ampliſſimis Imperiis: *Liberaſti corpus meum a perditione.*

2. Quia triumphum retulit de Gentilitatis erroribus per incomparabilem ſcientiam, *a verbo mendacii.*

3. Quia triumphum retulit de tyrannorum crudelitate per incomparabilem fortitudinem, *a Rege iniquo. Ex Specimine Orat. Panegyr.*

III. *A verbo mendacii, & a Rege iniquo ſum liberata; & in medio ignis non ſum æſtuata.* Eccli. 51. Cum Deus efficere vult, ut potentia ſua in mundo collaceat, infirmiores eligit ſubditos ſuos, contra hoſtes infenſiſſimos, ut honor victoriæ potius ductui ſuo referatur acceptum, quam militum virtuti. Ita videmus ad Philiſtinos ſuperandos, uſum fuiſſe uno Sanſone, cujus omne robur crinibus inhærebat; quod palam oſtendebat eam potius fuiſſe gratiæ effectum, quam naturæ. Cum delevit formidabilem illum Gigantem, qui terror erat Iſraelitarum, & inimicorum fiducia, nonniſi adoleſcentuli Paſtoris brachio uſus eſt, cui non aliud armorum genus contulit, niſi fundam. Cum de Holoferne triumphum egit, nonniſi dextera Judith eſt uſus, quæ illi caput obtruncavit, poſtquam eidem abſtulerat cor; & mortales omnes docuit, nihil arduum eſſe mulieri, quam gratiæ potentia ſuſtinet. Verum ſi quando oſtendit Deus potentiam ſuam in infirmo, ac molli quopiam ſubjecto, fatendum eſt hoc in ſanctæ Catherinæ perſona accidiſſe, quæ cum eſſet puella annorum duodeviginti, triumphum egit de iis, quæ in mundo fortiſſima habentur, quandoquidem.

1. Superavit Sapientiam, & vanitatem Philoſophorum totius orbis terrarum conſultiſſimorum ſcientia prorſus divina.

2. Inordinatum Cæſaris amorem amore puritatis.

3. Tyrannorum crudelitatem conſtantia, & animi ſui magnitudine.

IV. Orientis Eccleſia colit illuſtrem Virginem S. Catherinam antonomaſtice magnam appellans, ut innuat, quod ſunt terrarum domitores, & Heroes adeo in antiquitate laudati inter Principes terræ, talem inter Virgines eſſe Catherinam. Nullam invenies in ſexu muliebri, quæ vel tot, vel adeo illuſtribus coronis in cælo ſit redimita. Agnetes, Agathæ, Cæciliæ Virginum coronæ illam etiam martyrum addidere. Thereſiæ, ac Geltrudes, quæ nobis ſcripta ſua reliquerunt cæleſti ſapientia cumulatiſſima, Doctorum lauream promeritæ ſunt. Sed S. Catherina una inter tot ſanctas tribus redimita ſertis eſt, tribuſque coronis ornata, quas Eccleſia in Beatis honorat. Nam

1. Virginis coronam geſtat per inſignem puritatem, qua fulget.

2. Coronam Martyrii, quia conſtanter paſſa eſt crudelitatem perſequentium fidem.

3. Coronam Doctoratus per cæleſtem ſcientiam, qua inter ceteras ſexus ſui præſtitit.

Quod ſi cujuſvis coronæ pretium æſtimandum eſt, ullane fuit virgo hac illuſtrior? martyr generoſior? Virgo hac doctior ſimul, & humilior? Nonne dici poteſt has omnes præclaras dotes, quibus magna hæc Sancta prædita fuit, ad tantum excellentiæ apicem evaſiſſe, ut nonniſi illæ ſecum ſint comparandæ? *P. Caſillon.*

Veni, & oſtendam tibi ſponſam, uxorem Agni. Apoc. 21. V.
Hæc ſacri textus verba videntur jam vobis ad ſanctam referri Catherinam, Virginem illam tam illuſtrem, quam Dominus ſibi in ſponſam delegit, & quæ fidelitate ſua magnarum earum nuptiarum honorem ſuſtinet, quas cum Dei Filio contraxit amaris quidem, verum glorioſis conditionibus: quandoquidem pollicita eſt

1. Se cum veritatis hoſtibus decertaturam, pro ſponſi gloria tuenda.

2. Se de omnibus eorum conatibus victoriam relaturam, ſervando ſeipſam puram, & integram, ut digna ſit eminenti hoc gradu, qualis eſt dignitas Sponſæ Agni.

Fortitudo, & decor indumentum ejus. Prov. 31. Inſignis VI.
S. Catherina glorioſum nobis præbet exemplum fortitudinis, & decoris, quæ attollunt Virginem ad magis ſublimem gloriæ gradum; & præſtantes hæ duæ qualitates conſtituunt radios coronæ ipſius fulgidiores.

1. Nobis fuit exemplum incomparabilis formæ ejus animæ, eo quod admirabilis fuit puritatis, & innocentiæ.

2. Nobis fuit exemplum fortitudinis, & conſtantiæ, eo quod generoſe mortem ſubiit, ut ſuſtineret & puritatem, & fidem ſuam, quam tyranni per vim illi ſtudebant eripere. VII.

Adamavit eam Rex pluſquam omnes mulieres. Eſther 2. Incomparabilis ſancta Catherina una eſt ex ſponſarum numero Filii Dei, quam prælationis amore ſupra creata omnia dilexit. Et profecto dilexit eam Deus amore ſingulari, & prælationis, quoniam dum viveret huic plus gloriæ communicavit, quam alteri cuipiam virgini, & poſt mortem præ aliis omnibus reddidit celebriorem.

1. Viventi dedit donum ſapientiæ, ac ſcientiæ, ut ſe tueretur a ſollicitationibus Tyranni, qui nullum non movebat lapidem ad eam decipiendam. Dedit illi donum zeli, per quem ſuſtinens veritatem Chriſtianæ Religionis, paſſa eſt horribiles cruciatus, & mortem ipſam pro veri Dei gloria, & amore.

2. Reddidit illuſtrem hanc martyrem adeo celebrem poſt obitum, cum Angelorum opera tranſtulerit corpus illius in montem Sinai, quo nationes omnes peregrinabantur, & ibi illius interceſſione a malis omnibus curabantur, & effecerit ut omnes orbis Chriſtiani docti viri illam in patronam ſuam ſibi deligerent, & ut paucis Sanctis virginibus tot aræ, quot illuſtri huic martyri, ponerentur.

In vita ſua fecit monſtra, & in morte mirabilia operata VIII.
eſt. Eccli. 48. Quod dici poteſt de ſancta Catherina Virgine, quæ tot, tamque inſignia prodigia operata eſt poſt mortem, ut nullus ſit in mundo locus, quo illius gloria, nomenque non pervaſerint; & profecto merito dici poteſt de hac incomparabili martyre, quod de Apoſtolis inquit Pſalmiſta: *In omnem terram exivit ſonus eorum.* Utique verum eſt Sanctæ hujus famam in extremas uſque terrarum plagas evolaſſe. Igitur fecit monſtra

1. Per fœdus Angelicæ puritatis cum corpore peccati, quod omnes hereditatis jure accepimus a primo prævaricatore; quoniam mens, & cor illius ſemper munda fuerunt; licet domeſtici inimici divinam hanc virtutem laceſſerent, licet pateret deliciis, quibus expoſitæ ſunt nobiles puellæ, licet tot affluerent illi raræ, & juvenilis formæ illecebræ, quæ non ita facile conſociantur cum cæleſti puritate, in qua vitam tranſegit.

2. Per fœdus fortitudinis, animique invicti cum ſexus imbecillitate percuſſum, quoniam tyranni furorem, & carnificum rabiem ſuſtinuit, omniaque ſubiit ſupplicia invicta conſtantia, & de morte ipſa triumphavit illam ſtrenue perpeſſa.

Oſtendi poteſt S. Catherinam incomparabili ſapientia, & IX.
prorſus admirabili conſtantia præditam fuiſſe.

1. Quia vicit mundum, *cum erroribus ſuis, cum ſuis amoribus, cum ſuis terroribus*, uti loquitur S. Auguſtinus, per puritatem fidei, quam tunc oppugnabat tota Imperii majeſtas, quæ inanes Deos venerabatur. *Magna gratia opus eſt, ut cum tantis erroribus vincatur hic mundus.*

2. Quia vicit mundum cum omnibus illecebris, & amoribus ejus per puritatem ſui cordis, quam tunc oppugnabat violentus amor, quo idolorum cultores cum quibus vivebat, terrena hæc conſectabantur, rati non alia eſſe bona, niſi quæ ſenſus illorum afficiebant: *Magna gratia opus eſt, ut cum tantis amoribus vincatur hic mundus.*

3. Quia vicit mundum cum omnibus, quæ maxime terribilia ſunt in illo per conſtantiam ſuam, per magnanimum cor, per contemptum vitæ præſentis, per magnum amorem, quo futura bona concupivit: quamvis illi pugnandum eſſet contra ea quæ maxime erant formidabilia, contra Imperatoris iram, carnificum inhumanitatem, ſuppliciorum metum. *Magna gratia opus eſt, ut cum tantis terroribus vincatur hic mundus.* Ecce triumphos, quos incomparabilis retulit Catherina, & qui oſtendunt Deum uti infirmiori ſexu, ut maxima quæque prodigia operetur. *Sermo Manuſcriptus.*

Spon-

X. *Sponſabo te in fide.* Oſee 2. Si Chriſtiana virgo Sponſa eſt Chriſti Jeſu, quod aſſerit D. Ambroſius, & quomodo paſſim Doctores omnes loquuntur; S. Catherina inter Virgines prima omnium hoc privilegium obtinuit, quod ad Salvatoris nuptias ingreſſa eſt per ſpirituale, & omnino ſingulare conjugium, & eodem ritu, iiſdemque cæremoniis, quibus inter homines ſponſalia ineuntur. Hoc didicimus ex hiſtoria vitæ Sanctæ hujus, & hæ circumſtantiæ illam ſecernunt ab aliis, quibus Dei Filius eamdem contulit gratiam, illas ſibi in ſponſas eligendi. Non credo autem ignorare aliquem, jure gentium, quod apud nationes omnes conſtitutum eſt, ubi matrimonium legitime contractum eſt inter perſonas conditionis diverſæ, ſponſam, licet ordinis inferioris, ingredi in ſocietatem, & communicationem omnium bonorum, jurium, & prærogativarum Sponſi ſui: ita ut, liqueat ad quem gloriæ gradum evecta fuerit Sancta Catherina per honorem ipſi delatum ab eo, qui eam ſibi in ſponſam delegit, ſatis ſit meminiſſe in Dei Filios tres potiſſimum prærogativas eniteſcere.

1. Quia ipſe eadem puritas eſt per æternam generationem, & quemadmodum eum Paulus appellat, *Candor lucis æternæ.* (*Sap.* 7.) 2. Verbum eſt, & veritas æterna, quemadmodum Apoſtolus ſubdit: *in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ reconditi:* (*ad Coloſſ.* 2.) Tertio verbum eſt incarnatum, quapropter vir dolorum, & ſponſus ſanguinum dicitur. Hæc tria illa, quæ Dei Filius Sanctæ Catherinæ quatenus ſponſæ ſuæ contulit. Communicavit illi prorſus Angelicam puritatem; in illius perſona complexus eſt omnes ſcientiæ, & ſapientiæ theſauros, qui illam omnibus ſæculis admirabilem reddidit. Tertio particeps tandem effecta fuit omnium paſſionum, atque dolorum ipſius. *Sponſus ſanguinum mihi es.*

PARAGRAPHUS II.

Fontes unde hauriri copia poteſt ad has Sermonum ſtructuras exornandas.

Mirum eſt, quod tam pauci ex antiquis Scriptoribus locuti fuerint de Martyrio S. Catherinæ, & qui de illa ſcripſerunt, longe alia narraſſe. Martyrologia Bedæ, Uſuardi, & Adonis pauca narrant, ita ut illis ignota fuiſſe videatur. Baronius credit, vel ſuſpicatur potius hanc illam eſſe, de qua verba facit Euſebius; ſed quæ narrat Euſebius non conſentiunt cum illis, quæ Eccleſia, atque Traditio nos docent. Ruffinus qui fuerat in Ægypto, & qui poterat rem melius perſpexiſſe, diſtinctius loquitur, ſed Dorotheam nominat illam, quam Catherinæ vocabulo veneratur Eccleſia. Recentes, puta, Bolandus, Tillemontius, Baillet criticis animadverſionibus non ſolum hoc in dubio relinquunt, ſed in ſuſpicionem vocant, rejicientes auctoritatem illius, qui ſcripſit hiſtoriam martyrii cum iis circumſtantiis, quas novimus. Sed quin criticis hujuſmodi auctoribus immoremur, qui inter aniles fabellas ea mandant, quæ in ſe aliquid habent miraculi; nobis ſufficiat auctoritas Eccleſiæ, plurium ſæculorum Traditio, & communis ſenſus fidelium, ut cenſoriam notam minime reformidemus, & quin rem diligentius excutiamus. Ecce recentes Concionatores, qui in lucem hujus argumenti ediderunt elogia.

P. Caſtillon, in tomo de Panegyricis Sanctorum.

P. Senault Panegyricorum Tomo 3.

P. Texier Panegyricorum Tomo 2.

P. Oder de Allier in Panegyricis Sanctorum.

Formentier habet hujus argumenti Sermonem.

Auctor Sermonum in omnia argumenta Tom. 3. Panegyricorum.

P. Novet in vita Jeſu Chriſti in Sanctis ſuis prolixam habet meditationem, quæ ſermo fuiſſe videtur.

In ſpecimine Panegyricorum tres ſunt Synopſes, vel potius compendia ſermonum hujus argumenti.

Granatenſis tractatu ſecundo de amore Dei ad finem quarti §. texit elogium fortitudinis, & virtutis hujus Sanctæ.

PARAGRAPHUS III.

Loci, exempla, & applicationis Scripturarum huic argumento.

Loci, qui huic argumento convenire poſſunt.

A Verbo mendacii, & a Rege iniquo ſum liberata. Eccleſ. 5.

Fortitudo, & decor indumentum ejus, & ridebit in die noviſſimo. Prov. 31.

Mulierem fortem quis inveniet? procul, & de ultimis finibus pretium ejus. Prov. 31.

Super ſenes intellexi, quia lex tua meditatio mea eſt. Pſalm. 118.

Præſtitiſti decori meo virtutem. Pſalm. 29.

Certamen forte dedit illi, ut vinceret. Sap. 10.

Veni, Sponſa mea, veni, coronaberis. Cant. 4.

Univerſi adorantes Dominum dixerunt ad illam, benedixit te Dominus in virtute ſua, quia per te ad nihilum redegit inimicos noſtros. Judith 13.

Benedicta es filia a Domino Deo excelſo, præ omnibus mulieribus ſuper terram ..... Quia hodie nomen tuum ita magnificavit, ut non recedat laus tua de ore hominum. Ibidem.

Mulier innupta, & virgo cogitat, quæ Domini ſunt, ut ſit ſancta corpore, & ſpiritu. 1. Cor. 7.

Quis nos ſeparabit a caritate Chriſti? An tribulatio? an anguſtia? an fames? an nuditas? an periculum? an perſecutio? an gladius? Ad Rom. 8.

Si habuero omnem ſcientiam, caritatem autem non habuero, nihil ſum. 1. Cor. 13.

Videte ne quis vos decipiat per philoſophiam, & inanem fallaciam. Ad Coloſſ. 2.

Exempla, & figuræ Scripturæ.

Scientia, & zelus S. Catherinæ comparari poteſt cum duabus alis Seraphim de quibus Iſaias.

Alæ duæ, quibus Seraphim, de quibus verba facit Iſaias Propheta, in aera attolluntur, perfecte incomparabili S. Catherinæ conveniunt. S. Bernardus ait, priori ala ſignificari cognitionem, poſteriori devotionem, & caritatem, quarum utraque ſimul fuerunt ad Deum Seraphim; adjiciens ſcientiam in altum quidem elevare ſpiritum, ſed illam non ſufficere: ita ut qui unica tantum ala volare præſumat, periculum ſubeat in præceps ruendi; & quo altior illius volatus eſt, eo periculoſior ſit lapſus ejus futurus. Facile eſt hoc animadvertere, cum conſiderantur ſapientes illi Ethnicæ antiquitatis docti viri, qui una tantum ala ad Dei cognitionem ſeſe attulerant; ſed quia illis amor defecit, & ſupremo huic Enti non præſtiterunt adorationes illas, quas cognitio ita exigebat, in nullam reditus ſpem interierunt, atque traditi fuerunt in reproborum ſenſum. Eximia vero S. Catherina perfecte cognovit humanarum ſcientiarum inutilitatem, ubi caritas deſit: ideoque ſæculi ſui ſapientiſſima fuit, ſed huic addidit ſcientiæ ardentem divinæ gloriæ zelum, quem per ſcientiam cognoverat, & æquo jure merita eſt, ut ab Eccleſia univerſa antonomaſtice Magna appellaretur.

S. Catherina majus aliquid præſtitiſſe videtur, quam S. Joannes Baptiſta, cum Herode de inceſtu redarguit.

Jactet quantum libuerit quiſpiam ardentem S. Joannis Baptiſtæ zelum ſtrenue Principum omnium crudeliſſimo exprobrantis, non licere illi rem habere cum uxore fratris: *Non licet tibi habere eam:* nonne videtur Catherina audacius aliquid exprobraſſe Tyranno? Præcurſor Filii Dei Herodem unum laceſſere videtur, Catherina vero provocat, & Aulicos ejus, & omnes Ethnicæ religionis conſultiſſimos viros, & populos omnes, qui erant Ethnici; Chriſtiana hæc, & generoſa virgo tot nocentes ſimul laceſſere non reformidat. Vos pudeat ignavos miniſtros Domini, qui non audetis vocem attollere, & ſevero vocis tono alloqui peccatores, quorum ſcelera vobis meridiana luce clariora ſunt; vos qui per ignavum metum, mollemque indulgentiam illos in ſuis ſceleribus fovetis, vos, qui tantum abeſt, quod terribilem Judiciorum Dei ſeveritatem intentetis, ut fortaſſe vos illis primum præbeatis exemplum mali, quod patrant; vos, qui infelices victimæ ultionis, avaritiæ, ſuperbiæ, & fortaſſe etiam libidinis non audetis ea, qua decet, ſeveritate perſequi ſcelera, quorum labe iniquinamini. Quæ vobis ratio erit reddenda, quod tantum, ac tamdiu abuſi fuiſtis ea facultate, quam vobis licet indignis conferre Domino placuit?

S. Catherina confertur cum Judith, cui Deus vultus honorem afflavit, cum ad Holofernem acceſſit.

Explicitis, conceptiſque verbis teſtatur Scriptura, Deum olim novas addidiſſe oris illecebras Sanctæ Viduæ Judith, & feciſſe, ut novi decoris acceſſio fieret, ut truculento placeret Holopherni ad hoc ut illa facilius victoriam referret: *Cui etiam Dominus contulit ſplendorem.* (*Judith* 10.) Hic Deus, cujus magis intererat incomparabilis Catherinæ victoria, huic, ut Judith, novum confert formæ decorem, novaſque illecebras eximiæ pulcritudini, quam a natura ſortita fuerat, ut Tyranno placeret. Hanc ille admiratus, eademque captus fuit. Hic, o Fidelis ſponſa Filii Dei, oſtendendum eſt conſtantiam tuam nulla Regni ſpe labefactari poſſe, & in te melius Sponſum amari, quam mundum univerſum. Fidelitas tua duris eſt tentationibus probanda; per te mihi liceat trepidare pro tua fidelitate. At nolite metuere; quamvis longe terribiliores hoſtes Catherinæ ſuperandi ſint, quam Judith, eos facile ſubvertet. Fruſtra huic offerunt mundi delicias, & ampliſſimos honores, quibus perfrui valeat: Fruſtra cæſareum offerunt ſolium; fruſtra ex alia parte illi minitantur rotas, & cruces; Sancta hæc anima in equuleum aſcendere mavult, quam ſolium, & dicere poſſumus illam hac generoſa repulſa non de Imperatore ſolum, ac Imperio triumphum retuliſſe, verum etiam de mundo univerſo.

S. Catherina comparata cum Job, & in quo.

Pater quidam verba faciens de Job in ſterquilinio jacenti dicebat, hoc theatrum fuiſſe, ac triumphale ſimulacrum ſub carnis infirmitate poſitum in Dæmonum ruborem & Dei omnipotentis gloriam. *Statuam triumphalem poſuit Deus.* (*S. Gaudentius Epiſc. Brixienſis.*) Hoc ipſum proculdubio dici poteſt de Sancta Catherina, cujus victoria eo glorioſior eſt, quo infirmius erat inſtrumentum, quo Deus uſus eſt. Profecto quæ ſimilitudo eſt inter Virginem, furentemque Tyrannum, præſertim habentem plures Carnifices ſuæ crudelitatis miniſtros, & armatum flagellis, eculeis, ac rotis? Nihilominus virgo hæc adoleſcens victrix redit, *Victa ſunt in carne omnia crudelitatis ingenia*, inquit Theophilus Alexandrinus. Artes omnes, quas humana mens comminiſci poteſt ad infirmandam illecebris, minis, & variis cruciatibus Virginem noſtram, in triumphorum illius materiam convertuntur. Quinam fons eſt victoriarum illius? undenam tantam hauſit fortitudinem, ut omnibus terræ, ac inferni poteſtatibus reſiſteret?

ret, niſi ex ardenti caritate, qua Salvatorem ſuum complectebatur? Hujus virtute tot, ac tam terribiles inimicos evertit.

Alia comparatio S. Catherinæ cum Job.

Crudelis Maximinus poſtquam laborem omnem, & operam perdidit, & fruſtra cruciatus omnes adhibuit, quæ ipſi ſua ſuggerere potentia potuit, & poſtquam altera ex parte ſuperavit tot, ac tam validos hoſtes, nonne fateri cogitur, adoleſcentulam de omni potentia ſua, & furore triumphaſſe? Nonne dicere poterat id, quod Pater quidam loquentem inducit Dæmonem, qui Job quidem oppugnaverat, at expugnare non valuerat: *Omnia argumenta oſtendi, & fortitudinem Job non dejeci.* (*Origenes.*) Uſus ſum validiſſimis rationibus, ut illum ſeducerem, & illius mentem corrumpere non potui; exhauſi omnem pharetram meam, omnia abſumpſi tela, & nihilominus invicti hujus Herois cor vulnerare non valui. Omnes impendi artes, & conatus meos, & in irritum ceſſerunt. Sed ad illuſtris Sanctæ Catherinæ gloriam dicere, Maximinum de illa triumphum agere non potuiſſe, parum eſt, niſi dicamus illam de Maximino triumphaſſe; nam præterquam quod illius perquiſitiones neglexit, ejuſque blandas illecebras vertit in ludibrium, ſuperavit etiam omnia ejus tormenta, in ipſum retorſit quidquid ille contra ipſam adhibuerat, & illi eripuit perſonas omnes, quarum opera uti voluit ad eam, vel decipiendam, vel corrumpendam.

Alia comparatio S. Catharinæ cum Judith.

Poſt omnes victorias, quas S. Catherina de crudeli tyranno reportavit, procul dubio potiori jure, quam Sancta hæc veteris Legis vidua poterat exclamare: *Vivit Dominus, quoniam cuſtodivit me Angelus ejus.* (*Judith.* 13. Et profecto qua fortitudine opus fuit, ut omnia ſuperaret tormenta; qua ſapientia, & firmitate, ut eluderet omnes artes illius, penes quem totius ferme terrarum orbis erat imperium? Judith quidem tentata fuit ab hoſte populi ſui; ſed Ducis illius ars nimis erat craſſa, ut illa ſe falli poſse pateretur: Sanctæ illi viduæ patebat aditus de caſtris exeundi, ut vota ſua Deo nuncuparet, & facile fuit hoſtem alto ſopore obrutum obtruncare. Sed incomparabilis Catherina, præterquam omni carebat Mundi experientia, quæ in Sancta Vidua minime deſiderabatur, ad ſuperanda tyranni lenocinia, quæ fere ſuperari non poſſunt; quandoquidem illi offerebat mundi totius imperium non integrum erat illi fugam capeſsere; quippe quæ circumſepta erat carnificibus; & Tyrannus alioquin ſatis oculatus erat. Quas ergo non egit gratias Domino qui illam deduxerat, & ſervarat inter tot carnifices, & hoſtes; & quod non permiſerat, ut puritas ſua a Tyranno violaretur? *Et hinc euntem, & ibi commorantem; & non permiſit me Dominus ancillam ſuam coinquinari.*

Applicationes quorumdam Scripturæ locorum huic Argumento.

Elogium fortitudinis proprie eſt elogium S. Catherinæ.

M*Ulierem fortem quis inveniet? procul, & de ultimis finibus pretium ejus.* Proverb. 31. Sicuti nihil unquam infirmitatis viſum eſt in S. Catherina, cujus elogium habiturus ſum: non dubitabo affirmare, quod magnus quidam vir dixit de Judith, naturam quidem illi ſexum dediſſe, cetera vero in ea formaſſe virtutem. Cum autem ex omnibus virtutibus fortitudo una omnium maxime eluceſcat, & majorem cieat admirationem: eo uſque ut non ſine quadam prærogativæ ſpecie virtus appelletur: ad Sanctæ hujus panegyricum texendum ſatis eſſet, vobis exhibere veluti in tabula virtutis hujus imaginem vividis, audacibuſque coloribus, ut ſimul vobis exhiberetur character Virginis, quæ fuit ſæculi ſui portentum, & quæ oſtendit, quodcumque privilegium ſexui ſuo natura conceſſerit præ altero, gratiam tamen in favorum ſuorum diſtributione nequaquam ſecutam fuiſſe hanc diſtinctionem: quoniam corpus infirmiſſimum ſæpe vi ſpiritus, animique ſui ſeſe extulit, ut eſſet aliis quidem exemplo, aliis autem probro, & verecundiæ. Nullus dubito quominus aliæ etiam virtutes Sanctam hanc, inſignem effecerint, & ceteræ etiam aliquid contulerint ad perficiendum eximium hoc naturæ ſimul opus, & gratiæ; ſed cum fortitudo illi magnum hunc nitorem contulerit, & impulerit Eccleſiam ut illam in ipſo Oriente conquireret, atque ex tot Martyribus unam eligeret, quam feſto adeo peculiari honoraret, hoc probat illud Sapientis Oraculum; non eſſe rem vulgatam, & quæ paſſim occurrat, tantam videre fortitudinem in puella; ſed univerſum terrarum orbem fuiſſe peragrandum, & maria ipſa traducenda, ut inveniretur: *procul, & de ultimis finibus pretium ejus.* Sed invenimus tandem theſaurum hunc, hanc virtutum numero carentium congeriem in glorioſa, ac triumphanti Sancta Catherina.

Explicatio verbi illius *ſcientia inflat*. 1. Corinth. 8. 1. *Stromat.*

Clemens Alexandrinus ſcribens in illud S. Pauli verbum, *ſcientia inflat*, ait Apoſtolum nequaquam velle ſcientiam redarguere, quod Interpretum vulgus aſſerit, & docere, quod ſcientia ſpiritus efficit vanos: ſed S. Pauli mentem eſſe, laudandi ſcientiam, quippe quæ animabus, in quibus, invenitur, inſpirat magnos ſenſus, heroica facinora, divina conſilia, & contemptum rerum omnium, quæ in mortalium oculis magna videntur: *Non enim per doctrinam, faſtum, & arrogantiam inſpiravit Dominus, ſed eſſe magnificum ex cognitione, quæ traditur per ſcientias.* Hoc magnum eſt, & vere magnificum; ſed non minus verum. Scientia enim per ſe hominem in ſublime rapit, ut ambitioni ſuæ ſatis non faciat, niſi per poſſeſſionem Dei, qui tunc nobis retegit objecta, & efficit, ut videamus illa, qualia reapſe ſunt, non qualia videntur; quid valeant, non quanti fiant: Per ſcientiam videmus verorum bonorum diſcrimen ab iis, quæ ſpecioſa ſunt; æternitatem a tempore ſecernimus. Ad hæc cum noſtra voluntas regatur luminibus mentis; vulgo fertur ad perquirendum bonum, quod ſibi detegitur, & ad contemptum objectorum inanium, atque mendacium, quorum nihilum oſtendit. Idcirco verum eſt ſcientiam eruentem animam de tenebris ignorantiæ, quæ nos tamquam in nihilo ſubſidentes moratur, & humi affixos, inflare, immittere deſiderium ardentem nos altius attollendi, nos in Cælum evehere, & efficere, ut Deo hæreamus. Et profecto hujus rei admirabile videmus exemplum in S. Catherina; etenim quid in ſpeciem quidem infirmius illuſtri hac virgine, molli, delicata, adoleſcentula, mundi oculis abſcondita? Sed cum Jeſu Chriſti gratia illuminata fuit ſublimi hac ſcientia, quæ facit magnas animas, ac Sanctos, multis poſt ſe relinquit ſtadiis ſummos viros; quos omnium ſæculorum cæci prædicarunt. Illa multo majora præſtitit, neque enim contenta aliquot provinciarum, vel alicujus partis mundi adquiſitione, fit quodammodo domitrix Orbis totius, & cum nobilis ejus ambitio non ſit prorſus adimpleta, ipſum denique Cælum rapit.

S. Catherina ſit præſtantiſſima ſæculi ſui perſona per unionem ſcientiæ cum caritate.

Si habuero omnem ſcientiam, caritatem autem non habeam, nihil ſum. Ad Corinth. 13. Quia S. Auguſtinus dicit, ſcientia ſine caritate res eſt adeo modica, ut pro nihilo ſit habenda; quia parit vanitatem; quæ res efficere debet, ut ad litteram explicentur illa Apoſtoli verba. *ſcientia inflat*; etenim reapſe tunc non aliud eſt, quam ſuperbia, cum e contra ubi cum caritate conjuncta eſt, animam firmam reddit, ſolidam, & inconcuſſam. *Cum caritate autem non ſolum non inflat ſcientia, ſed etiam firmat*; quod non abludit a S. Pauli verbo, *ſcientia inflat, caritas autem ædificat*: quia ſcientia utilis eſt caritati, ut finem ſuum conſequatur, & S. Bernardi ſcientia eadem eſt ac Apoſtoli, & S. Auguſtini cum ait, *lucere tantum, vanum; ardere parum.* Sed lucere & ardere ſimul perfectionis cumulus eſt; quod gloriam atque triumphum Sanctæ Catharinæ conſtituit. Cum enim in ſomnis Sanctam Virginem Mariam vidiſſet, a qua præſentabatur Filio ejus, a quo reſpuebatur; quia licet erudita eſſet, non habebat tamen caritatem, quia nondum erat Chriſtiana; ipſa celeriter edoceri voluit in fide, & ſacro ablui baptiſmate. Tunc vero cum ſcientiæ caritatem addidiſſet, Salvator, qui antea illam rejecerat, iterum ſe illi oſtendit, eam adamavit, ac ſibi ſponſam delegit coram Matre, & Angelis, & in amoris ſui pignus dedit ei Annulum, quem & digito ejus inſeruit, ut cum e ſomno excitata eſſet, non dubitaret, quominus inſignem hanc illi gratiam contuliſſet. Verum eſt ex eo tempore illam oſtendiſſe ſuam eminentem ſcientiam doctiſſimos imperii viros confundendo; ſed non minus oſtendit amorem, & fidelitatem ſuam erga Salvatorem audacter increpando Imperatorem de impietate ipſius, & de crudelitatibus ſuis, eo quod cogere vellet Chriſtianos, ut inanibus diis thus adolerent. *Mulierem fortem quis inveniet?* Prov. 31.

S. Bernard. in Nativit. Joann. Baptiſt. Contra Fauſtam l. 15. c. 8.

Fortitudo quæ virorũ pars eſſe videtur, in S. Catherina magna in luce coruſcat.

Fatendum eſt, pietatem, lenitatem, modeſtiam, ac ſexcentas alias id genus virtutes, perfectiones eſſe, quæ vulgo in mulieribus commendantur; ſimulque fatendum eſt, has illis plurimam decoris præ altero ſexu conferre. Sed aſſerendum quoque eſt fortitudinem eſſe partem, & characterem virorum, ſeu id a natura proficiſcatur, quæ his tribuens fortius, ac robuſtius temperamentum videtur eos ad majora, & difficiliora deſtinare; ſive a mulierum inſtitutione procedat, quæ ut plurimum a pueritia ad ea formantur, quæ nonniſi modeſtiæ, & lenitatis ſenſus immittunt. Quomodocumque ſe habeat res, & mortalium ſapientiſſimus aſſerit, hanc extremam eſſe felicitatem, neque ulli pretio comparandam, invenire mulierem, quæ norit conſociare fortitudinem, & conſtantiam cum virtutibus, quæ ſunt humaniſſimæ. Verum eſt theſaurum eſſe inæſtimabilem, & jure Sapiens inquit, illum in extremis terrarum plagis eſse conquirendum: Sed inutile eſt tot moribus torqueri, cum Deo placet illum nobis largiri. Deus ipſe nobis tribuit fortem hanc mulierem, mundo tribuens Virginem S. Catherinam. Inſignis hæc virgo ornata fuit non ſolum lenitate, modeſtia, & pietate, quæ ſexui illius fuit communis, ſed contulit illi fortitudinem adeo heroicam, firmitatem adeo conſtantem, ut procul dubio omnes Ethnicos Heroas, immo etiam complures Chriſtianos ſuperaverit.

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & Sententiæ Sanctorum Patrum quæ huic Argumento quadrare poſſunt.

V*Irgines pretioſa monilia Chriſti.* Sanctus Ignatius Martyr. *Honorate virgines, ut Sacerdotes.* Idem.

Martyrum gloria carnificum crudelitas. Tertullianus.

Neminem Chriſtianum, & maxime virginem decet claritatem ullam computare carnis, & honorum. Cyprianus de Diſcipl. & habitu Virginum.

Quando fortior femina viris torquentibus invenitur; quando ignes, aut cruces, aut ferrum, vel beſtias patitur, ut coronetur; illa ſunt carnis pretioſa monilia, illa corporis ornamenta meliora. Idem Ibidem.

Gravem ſortita eſt caſtitas inimicum, cui ſemper reſiſtitur, & ſemper timetur. S. Auguſtinus de honeſtis mulieribus. cap. 2.

Poſcenda fides ut vincatur mundus cum ſuis erroribus. Idem lib. de Corrept. & gratia.

Mihi optabilius mala pati pro Chriſto, quam honorari pro Chriſto; hæc eſt gloria, quæ omnia exuperat. S. Chryſoſt. Homil. 64. in Epiſt. ad Epheſ.

Caſtitas eſt inviolata pulcritudo Sanctorum. S. Bernard.

Quamquam mirabilis Deus in viris, mirabilius tamen, & glorioſius triumphus in feminis. Petr. Damiani Serm. 66.

Acutiora auri tela, quam ferri; validius mentem frangit honoris ambitio, quam tormentum. Idem ibidem.

Sponſum offers, meliorem reperi; habeo eum, cui nemo ſe comparet; divitem mundo, potentem imperio, nobilem cælo. S. Ambroſius lib. de Virginit.

PARAGRAPHUS V.

Quid Ex Theologia deſumi poteſt in hoc argumento.

Vis ſpiritus in quo ſita ſit.

SIcuti ſpiritus non ſolum homines ſuper cetera attollit animantia, ſed ſtatuit etiam grave diſcrimen inter homines ipſos, non miror ſi tot inveniuntur, qui vim ſpiritus jactitent, & ſi moventur hac prærogativa, quæ illis apud mortales tantam promeretur gloriam, & quæ conſtituere videtur præſtantiſſimum meriti gradum. Ego non improbarem hoc animi ſtudium, quod naturæ noſtræ nobilitatem atque præſtantiam oſtendit, ſi objectum hujus fortitudinis ſemper verum eſſet: hoc eſt, ſi hanc fortitudinem in ſe ſtatuerent, quæ reapſe non communes conatus exigeret. Sed fatendum eſt hominum illuſionem hac in re eſſe admirabilem, ſunt enim, qui gloriam hanc in eo conſtituant, quod illos adducet in contemptum hominum omnium, videlicet in impietate, & privatis ſententiis circa veritates, & Religionis noſtræ myſteria; qui potius habendus eſt tamquam miſeræ infirmitatis effectus, qui in humanas mentes valeat incidere. Alii eam ſtatuunt in ſubtili penetratione, & ſublimi intelligentia, quæ nullis finibus circumſcribitur: Sed objectum, cui ſeſe applicant, oſtendunt ſoliditate, & vi quam oſtentant, eorum imbecillitatem magis aperiri; quandoquidem in ea tantum incumbunt; quæ prætereunt, & quæ permanſuræ non ſunt. Alii denique fortitudinem hanc collocant in arte imperandi aliis, eoſque in officio continendi; ad id enim putant non communi opus eſſe ingenio ad expedienda negotia, ad inimicorum exſufflanda conſilia, & ad finem obtinendum per eas vias, quæ tutiſſimæ, & non defecturæ videntur. Verum cum hæc omnia ad vitæ præſentis felicitatem pertineant, & ſpiritus fortis, atque ſublimis ſupra hæc terrena ſe debeat attollere, & in ipſum ſe extendere æternitatem; mihi non ſuccenſebunt, ſi dixerim hac in re nihil non humanum inveniri, & veram fortitudinem illam eſse, quam Fides, & Chriſtiana Religio nobis inſpirant attollentes ſpiritum noſtrum ſupra ſe, & diſſipantes tenebras, quas oculi noſtri penetrare non valent. Quod ſi hæc ſequimur lumina, ſi hujuſmodi placitis inhæremus, ſi ad hæc principia actiones noſtras componimus; hoc in Scripturis vocatur ſapere, ac intelligere, & hæc re ipſa unica, & vera eſt vis ſpiritus, quia hujus finis eſt hominem in æternum beatum efficere, quod nobis conſtabit exemplo Sanctæ Catherinæ, cujus triumphum celebramus.

Profana Philoſophia eſt vetuſtiſſima Religionis inimica. Hæc materia eſt triumphorum S. Catherinæ.

Communis eſt Patrum ſententia, profanam Philoſophiam vetuſtiſſimam eſse Chriſtianæ Religionis inimicam, & cum S. Paulus erudit Fideles, etiam atque etiam illis commendat, ne ſe decipi ſinant fallacibus illecebris hoſtis hujus pernicioſiſſimæ: *Videte ne quis decipiat per philoſophiam, & inanem fallaciam;* (*Ad Coloſſ. 2. Lib. de anima.*) & fidelis ejuſdem Interpres S. Joannes Chryſoſtomus docet, hereſim numquam magis eſse terribilem, quam cum Philoſophiæ mendacia illi patrocinantur, & utraque ſimul conjunctis viribus Religionem oppugnant. Itaque cum Tertulliano confitendum eſt, Philoſophiam matrem hæreſeos eſse, & Hæreticos pro parentibus, ac magiſtris habere Philoſophos. Profecto utrique ſimul veritatem evertunt, illam ſtatuere, ac ſolidare ſimulantes, illi bellum inferunt, eidem adhærere affirmantes, oppugnant illam, eamdem propugnare jactantes. Sed ſi unquam majores conatus exercuit quiſquam, ut veritatem impugnaret, ac tueretur mendacium, hic ſane fuit Maximinus Imperator; qui captus amore eximiæ formæ, quæ in Sancta Catherina elucebat, eamque in fidem ſuam volens pertrahere, congregavit omnes orbis terrarum Philoſophos ut illam evincerent; quamvis fruſtra, quandoquidem conatus hi nonniſi triumpho illius gloriam, & laudem addidere.

Deus æque per S. Catherinam, ac per Eccleſiæ doctorem fecit ut chriſtianæ Religionis veritas eluceſceret.

Fieri vere non poteſt, quominus Dei magnitudinem admiremur in eximiis qualitatibus, quas illi placuit viris communicare. Admirabilis eſt in fortitudine, conſtantia, ſcientia, a tot incomparabilibus donis, quæ illis impertit: hæc omnia vera ſunt, ſed poteſtas ejus magis in feminis eluceſcit. *Quamquam mirabilis Deus in viris*, Sanctus Petrus Damiani ait, *mirabilius tamen glorioſius triumphat in feminis.* Hos palam videmus in ſanctis hiſce legis antiquæ mulieribus Judith, Eſther, Debora, Jahel; ſed ſub Evangelio incomparabilis Sancta Catherina longe majori in luce refulget. Verum eſt, Deum eſse admirabilem in Hieronymis, Ambroſiis, Auguſtinis, Gregoriis, attamen in Sancta noſtra videtur aliquantulum admirabilior. Videre enim homines doctos, cæleſti lumine illuſtratos de errore victoriam referre; videre viros caritate flagrantes evertere impietatem, hoc magnum eſt; ſed intueri virginem puellam, delicatulam cum magnis viris diſputantem, qui vitam ſuam in ſtudiis tranſegerant, cum hoc ſit infrequentius, dici etiam poteſt eſse miraculo propius; quandoquidem illuſtris virgo noſtra æque repleta fuit caritate, ſcientia, & animo ac quilibet Doctor, qui unquam in terris extiterit.

Licet odium, & ira duæ ſint animi affectiones in omnibus maxime metuendæ: confitendum eſt illas longe terribiliores eſse in Principibus. Cum enim poſſint, quidquid volunt, & eorum potentia nonniſi voluntatis ſuæ finibus ſit circumſcripta; illis ſuccenſentibus, omnes ſubditi contremiſcunt; & ſimul fulmen in unum ruens, terret quamplurimos. Principis ira terrorem incutit ſubditis omnibus, quamvis unum petat. Et ratio conſtat. Quia cum irritati ſunt, non id tantum conſideratur, quod agunt, quod poſſunt, & eorum furorem ab eorumdem patientia dimetientes omnia timemus ab eo, qui poteſt omnia, & putat ſibi omnia licere. Sed hujus hominis iracundia numquam magis terribilis eſt quam cum ejuſdem amori ſuccedit, & credit ſibi jus eſſe iraſcendi contra aliquem, quem amavit, & qui amore illius ſe præbuit indignum per contemptum, quem de illo teſtatus eſt. Tunc enim ratus æquam eſſe hanc affectionem, & pro ſe jus ſtare, nullum non movet lapidem, ut ulciſcatur, & credit nullum eſſe tormentum, quod reparare valeat injuriam, qua ſe autumat affectum fuiſſe. Hinc facile eſt conjicere fuerit quænam Maximini iracundia; erat enim Cæſaris, & amaſii, qui a Catherina ſe neglectum arbitrabatur. Quatenus Cæſar poterat omnia; & omnia ſibi fas eſſe putabat: naturam univerſam in perſona ſua læſam fuiſſe arbitrabatur: & nemo erat, qui non ſe offerret cupiditatis ejuſdem miniſtrum. Quatenus amaſius, credebat ultionem ſuam injuſtam eſſe non poſſe ubi ſit amori ſuo par. Quatenus læſus, exiſtimabat pœnam parem eſse debere contumeliæ, quam ſibi a Catherina illatam fuiſſe affirmabat. Itaque nihil prætermiſit eorum, quæ ſuo furori, ac ſævitiæ ſatisfacere poterant.

S. Catherina ſtrenue reſtitit oblationibus Maximini imperium polliciti, qua in re triumphum retulit de honoribus divitiis & voluptatibus.

Patres tot tantiſque elogiis Virginitatem concelebrant, ut ipſi etiam martyrio præponant. Profecto quot extitere Chriſtiani, S. Cypriano teſte, qui tyrannorum, atque carnificum rabie ſuperata, in ſecretis pudicitiæ præliis victi ſunt? Dolor enim nos oppugnat ex ea animæ parte, quæ fortior eſt; voluptas autem ex ea, quæ eſt imbecillior. Puella noſtra ſepta eſt inimicis intra ſimul, & extra; ſed inimici hujuſmodi non occurrunt illi ferro, aut flammis armati; tela ſua floribus tegunt; nonniſi de imperiis, ſoliis, & coronis illi verba ſunt, tamen virginitas, & humilitas ſua nullis tentationibus labefactantur. Hinc dæmon antea illius oppugnat puritatem ſperans ſe illam brevi idolorum cultricem habiturum, ſi faceret impudicam. Ingreditur illa Cæſaris aulam, eique exprobrat impietatem ſacrificii, quod offert Idolis; Ethnicos Philoſophos, qui eidem opponuntur, confundit, & in ſermonibus ſuis tantum mentis, ſcientiæ, ac ſapientiæ præſefert, ut hæ perfectiones Angelica ſpecie ſuffultæ in Cæſaris animo terribilem affectum pepererint. Illi pollicetur diadema, ſupremamque poteſtatem in Imperium, & cor ipſius Imperatoris. Graviſſima hæc quidem tentatio fuit; difficile quippe eſt renuere conſenſum, qui tot honores, opes, & voluptates promeretur, & verbo parcere, quod certam facere poteſt totius terrarum orbis dominationem. Hoc tamen facit Catherina. Inconcuſsa manet; claudit oculos omnibus oblationibus Imperatoris, eumque non ſine indignatione quadam contemnens ait, illum ſibi polliceri non poſse, quod tanti valeat, quanti illud quod ſibi conatur eripere; ſe ſponſum inveniſse, cum quo nihil comparari poteſt. Verbo, Sancta hæc adeo ſtrenue eluſit Cæſaris artes, ut amor ejus in violentum furorem degeneraverit.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Aſceticis, recentibuſque Concionatoribus loci hujus argumenti.

Quod in Catherina invenimus fortem mulierem, quã vixit, in mundo ſe inventurum ſperabat Salomon.

SAlomon adeo ſapiens, & illuminatus, ac tantum in Scripturis jactatus ad extremas uſque terrarum plagas ſe conferat Mulierem fortem quæſiturus, & poſt plures eaſque accuratas perquiſitiones illam ſe invenire poſse deſperet; Deo, ſanguini, ac meritis Agni ſine macula gratiæ habeantur, non ea nobis neceſſitas eſt, ut adeo procul proficiſcamus, ut plures inveniamus. Eccleſia longe uberior quam Synagoga domi ſuæ tantam fortium mulierum habet copiam, ut æque injuriam inferret gloriæ illius, & fortitudini complurium filiarum ejus, qui dubitaret. Pro una, quam Salomon quærebat inter omnes terrarum gentes, & quam illi invenire non licuit, Chriſtiana Religio proferet centum, inter quas incomparabilem Catherinam, quæ inter millia tanta in luce coruſcat, & adeo ſublimem gloriæ verticem aſsecuta eſt omnibus triumphis ſuis, ut minime vereamur poſt laudes, quibus eam cumulat Eccleſia, illi inter ceteras palmam conferre. *Sermo Manuſcriptus.*

Ortus, inſtitutio, & dotes S. Catherinæ.

Illuſtri S. Catherinæ contigit naſci in tenebris Gentilitatis, & in illis ab incunabulis educari. Hæc procul dubio æternæ infelicitatis ſuæ cauſsa fuiſset, ſi Deus, qui elegerat illam, ut illuſtre perhiberet religioni noſtræ teſtimonium, uſus

ſuſus non fuiſset naturæ bonis, ut ad illa gratiæ recipienda diſponeret. Cum enim e regia ſobole cum nobilitate fuiſſet adepta ingenium ſublime, & mentem ad magna quæcumque parem; omnes delicias contempſit, omniaque ſexus ſui nugas, & ſublimiora animo gerens conſilia tanta aſſiduitate, & cura ſeſe abdidit ſtudiis humanarum litterarum, Eloquentiæ & Philoſophiæ; ut brevi eruditiſſimum, ac diſertiſſimum quemque ſuperaverit, & mox funditus edocta quidquid illius curioſitatem explere poterat ſciendi quidquid humana mens in rerum natura detegere poteſt, divina quoque ſcrutari voluit & Religionis, in qua nata erat, penetrare myſteria. Hic illam præſtolabatur Deus; ibi enim inſanas fabulas, vanitatem, bipalmares contradictiones & miſerum mentis errorem inveniens, quæ ſibi flagitioſa finxerat numina, ad humani cordis nequitiam fovendam, tunc cupiditas veritatis cognoſcendæ mente ejuſdem potita, & nihil in omnibus ſectis nacta, quod illi rationabile videretur; ne quid in Religionis materia ignoraret, Chriſtianorum quoque myſteria cognoſcere voluit. Illa audiit, ad examen vocavit, admirata eſt; & cæli luminibus ad ejus curioſitatem accedentibus, confeſſa eſt hanc unam Religionem ſibi præbere æquam divinitatis imaginem; quæ hominem attollit finem principio ſuo dignum, & ad veram virtutem impellit. Hæc prima fuerunt ſemina, quæ fides in illius mentem jecit, quæ cæleſtibus influxibus irrigata, adjuvante celebri ea viſione, in qua Beatiſſima Virgo illam obtulit filio ſuo, a quo repulſa fuit, (nondum enim erat Chriſtiana) decrevit hanc Religionem amplecti, quam Ethnici perſequebantur, eo quod non agnoſcebant illam. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

In quo ſita erat fortitudo ſpiritus S. Catherinæ.

Cum loquor de fortitudine ſpiritus in S. Catherina, non ſolum affirmo, illi acrem fuiſſe ſpiritum, perſpicacem, & ejus extenſionis, quæ ſexus ſui captum exſuperat, neque hunc ſpiritum deinceps litterarum, & pulcherrimarum eruditionum ſtudio excultum fuiſſe cauſſam admirationis totius Alexandrinæ civitatis quæ Sanctæ hujus Virginis honeſtata fuerat incunabulis, vel illi opus fuiſſe diuturno mundi hujus uſu, qui illam perficeret; quippe naturalis ſoliditas ſupplevit, & tempori, & experientiæ & diutinæ exercitationi, quæ nonniſi poſt plures annos alios conſummatos efficiunt. Poſſidebat illa omnes has animi dotes ea ætate, qua alii eas vix adquirere incipiunt: Sed Spiritus ejus fortitudinem in eo conſtituo, quod omnibus rite laboribus exercuerit, ut cognoſceret veritatem; quod illam cognoverit; & cognitam ſtatim ſecuta fuerit; quod illam propugnaverit contra celeberrimos ævi ſui Philoſophos, & ſummos Oratores, qui ad illam convincendam undique collecti fuerant; & tandem quod omnes contempſerit terræ honores, qui illi offerebantur ad fidem ex illius anima extorquendam. *Idem.*

Abfuit ab illorum pertinacia, qui gloriantur ſe non cedere niſi rationibus quæ ſub ſenſibus cadunt.

Fortitudo Spiritus incomparabilis Sanctæ Catherinæ caruit eorum pertinacia, qui jactitant ſe dedere nolle niſi iis, quæ probari poſſunt per demonſtrationes evidentes. Æquius ratiocinata eſt, & intellexit Deum non futurum id, quod eſt, ſi humana mente poſſet intelligi; & myſteria, quæ ſupra rationem poſita erant, ſed quæ rationem ipſam non lædebant, oſtendere altitudinem, atque præſtantiam hujus fidei, quæ una inquietas mentis ſuæ ſollicitudines certas facere poterat, quandoquidem nihil extra illam reperiebat ſatis ſolidum, & cui poſſet inniti. Biblia, quæ volvit, Prophetiæ quas adimpleri videt, miraculorum, quibus doctrina hæc fulciebatur, atq...

quicumque ad illam accedere poterant, ſtatim inſignium virtutum illius experiebantur effecta. Converſatio illius erat adeo elegans, ut Cæſar ipſe licet Ethnicus, & barbarus captus fuerit, & quibuſcumque artibus illius ſibi affectum conciliare fuerit adniſus. Sed ingenita feritas Ethnici hujus Principis invictus fuit obex illius converſioni. Illecebræ Sanctæ Catherinæ pertraxerunt & Imperatricem, & Prætorianorum militum ducem, necnon ex illius copiis ducentos: eædem illecebræ, & eloquentia ad ejus pedes evertit quinquaginta ex conſultiſſimis Imperii Philoſophis, qui nimium præfidentes inutilibus Sophiſmatibus ex humana ſcientia depromptis confeſſi ſunt, ſe a Catherina victos eſſe, eique palmam concedere. *Auctor Recens.*

S. Catherina omnia mortalium negligit obſequia ut unice hæreat Salvatori.

Tot merita, & naturales perfectiones, quibus divinæ placuit Providentiæ illuſtrem hanc Virginem exornare, quamprimum illi plurimos cultores conciliaverunt, inter quos Imperatorem ipſum, qui præ ceteris erat pertimiſcendus. Hoc in loco nobis cum Salomone exclamandum eſt: puellam genere ampliſſimo natam, juvenem, ſpecioſam, quæ a mundo colitur, & quæ nihilominus mundi aſpernatur cultum, & obſequia, mereri, ut in album fortium mulierum referatur; nullumque in terris pretium eſse, quod cum illa valeat conferri. *Mulierem fortem quis inveniet? procul, & de ultimis finibus pretium ejus.* Hoc paucis ſanctæ Catherinæ elogium eſt. Namque perpendens vanitates mundi, & quidquid mundus divitias, magnitudinem, fortunamque vocat, & videns nihil ſoliditatis ineſse in mundi gloria, quæ diſſipatur, & excidit, & fugit velut umbra; ſeu in voluptatibus, quæ poſt ſe nonniſi diuturnam pœnitentiam, & amaram relinquunt recordationem, ſeu in divitiis, quas nobis momento rapit mors, ne cogitantibus quidem: perpendens, inquam, ſecum omnium bonorum horum vanitatem, conſilium iniit, nuncium mittendi omnibus hiſce, ac ſervandi ſe integram, puramque Salvatori, quem ſibi in ſponſum deligere meditabatur, quamvis mundus, caro, & dæmon magno huic operi adverſaretur. *Auctor Recens.*

Obices fere inſuperabiles quos invenit Catherina in inito conſilio permanendi virginem.

Cum Illuſtris hæc Virgo virginitatis ſervandæ iniiſset conſilium, quamplurimos obices nacta eſt. Omnes prævidit illa difficultates; ſed adhærens verbis illis Filii Dei; *confidite, ego vici mundum*; ſeſe confirmavit, & minime deſperans, quominus adeo valido ſuffulta ſubſidio victoriam referret, decrevit ſibi ſponſum aſsumere Dei Filium, & ſeſe illi unice conſecrare. Sed quot illi difficultates occurrerunt in via tot ſcopulis undique præpedita! Egreſsa erat ex familia idolorum cultrice, ex genitoribus, qui penitus idolorum cultui erant addicti, ideoque in invicta ignorantia virtutum omnium, quæ decent Chriſtianum; denique in pretio habebatur tanquam nobili nata loco, quandoquidem ex veteri traditione, e regio ſanguine erat profecta. Tanta hac in fortuna, & loco adeo illuſtri, confitendum eſt, raram eſse virginitatem; hujus etiam dignitatis perſonæ fere bono reipublicæ ſacrificantur; & filios ei gignere tenentur; ac ubi in lucem editæ ſunt, ab incunabulis ipſis nuptui traduntur. Alius obex, qui adhuc videbatur invictus, fuit ſumma pulcritudo Virginis noſtræ; quippe omnibus ornata erat dotibus, quas mundus veneratur; ſpecie, gratia, conſtantia, eloquentia, ſpiritu, ſapientia, verecundia; quibus accedebat ætas, quæ paſſim flos vitæ appellatur. Illa ſeipſam vidit a maximo mundi Principe, totius mundi imperium promittente adoratam. Nunquid

Deo non ſtare profitearur, infenſiſſimus eſt Religionis perſecutor.

ipſo Chriſtianiſmo ducit originem, & ad temporum finem eſt permanſura. Hic autem Tyrannus eſt humanus reſpectus, perpetuus pietatis inimicus, qui irreconciliabile illi bellum indicit, & qui hodierna luce facit, quod totus ſuppliciorum apparatus in cruentiſſimis perſecutionibus facere non potuit; hoc eſt ipſas etiam exteriores Religionis notas proſcribit per infirmitatem ſpiritus, quam ſatis admirari non licet. Sed incomparabilis Catherina ſatis habuit fortitudinis, ut non ſolum de abſcondito, & ſubdolo hoc tyranno, verum etiam de tyrannis veris, de tortoribus, ſuppliciiſque triumpharet. *Idem.*

S. Catherina chriſtianam fidem audacter profitetur.

Fortitudo ſpiritus Virginis noſtræ, quæ effecerat, ut illa Chriſtianæ Religionis veritatem cognoſceret, effecit etiam, ut omnes hominum ſermones contemneret, eamque palam profiteretur, & omnes humanas rationes conculcaret. Per fortitudinis hujus effectum gratia illi inſpiravit, ut ipſum Cæſarem in aula ſua conveniret, & uſque ad aras, ubi ſollemni ſacrificio inanibus diis thus adolebat, illi aperiret, quænam ipſa eſſet, & ut illi edictorum ſuorum injuſtitiam exprobraret. Sermo illius cum eo firmitatis tono prolatus, quem perſuaſio nunciatæ veritatis inſpirat, conjunctus cum lepore, & illiciis, quæ fingi poſſunt in perſona loquentis, vero ſuffultus zelo, & ſancta animatus audacia, quam Deus largitur in hujuſmodi caſibus, Imperatorem adeo fortiter percutit, ut obſtupuerit, & immotus permanſerit; ita ut ſatis ei fuerit indicare tempus, quo ſibi vacaret iterum eamdem de hoc argumento loquentem audire. *Idem.*

Hæc Cæſarem adit in Templum eique exprobrat indignum Deorum cultum.

Verſabatur tunc Princeps ſuperba in æde, ubi ſollemni pompa diis ſuis ſacrificabat. Circum illum aderat idololatrarum turba, uti paſſim accidit in ſummorum virorum comitatu. Hic illum adorta eſt, & ibi auſa eſt illi Deum, eumque crucifixum prædicare: ibi palam cum eloquentiſſimo zelo idolorum vanitatem oſtendens omnem illis abrogavit fidem in animis plurimorum, qui aderant. Penes vos eſto judicium, quonam ſtupore correptus fuerit Imperator videns ſanctam audaciam Virginis noſtræ. Ubi ſeſe collegit, eam in Prætorium juſſit adduci, ubi plura percontatus de illius genere, profeſſione, audacia, reſpondit ſe ex Regali genere editam, ſe Rethoricæ artis, & Philoſophiæ non ignaram profitetur, ſed nonniſi, ſe chriſtianam eſſe, & Filii Dei ſponſam gloriatur. *Auctor recens.*

Imperator reſiſtere nequit Spiritui Sancto, qui loquebatur, & Sanctæ, ſed non ideo cedit.

Si magnitudo ſpiritus chriſtianæ adoleſcentulæ enituit in fide publice profitenda, & extollenda ſemet ſuper ea omnia, quæ alias deterrere ſolent: melius adhuc enituit per os cum ſucceſſu magis admirabili in illa tuenda, ac ſuſtinenda; hoc enim non contra ſolum Imperatorem illi faciendum fuit. Cum enim Cæſar illam per otium audiviſſet, rationibus illius reſpondere non potuit; non ideo tamen victas dedit manus, & ſi ob fortitudinem ſpiritus obſtupuit, non minus formæ illius illecebris captus fuit. Fulgebat illa ea in luce, quam flos adoleſcentiæ afflare poterat perfectæ illius pulcritudini. Nobilis oris ſtabitus, decorus ſimul & non ſine quadam majeſtate venuſtus, quæ in toto corpore renidebat, exarmavit hominem ſæviſſimum inter eos, qui Cæſarum ſolium obtinuerunt. Ratio illa, qua audacter quidem, non tamen ſine quodam obſequio Sancta illum allocuta, venuſtas incomparabilis, qua quodlibet verbum comitabatur, ſuam ingeminans eloquentiam illum acriter perculerunt: ſed longe aliam ab ea, quam ipſa putabat impreſſionem pepererunt: Imperator

Habenda erat diſputatio.

& ubi ſcientia, & ſapientia illius prorſus divina tanta in luce coruſcarunt. In Spiritu ad hanc inſignem Alexandriæ civitatem pergite, Cæſaris Prætorium ingredimini, ibique videbitis hinc quidem puellam hanc prorſus ſolam & ſine ſubſidio, inde vero turbam Philoſophorum, qui illi opponuntur. Ut certior de Virgine fieret victoria, illi opponit quidquid Doctorum virorum erat in Græcia, & Ægypto, quos celerius cogi voluit, & quos ingentibus promiſſionibus excitavit, ſi illam in ſententiam ſuam redigere poſſent, & efficere, ut a propria diſcederet. Ad videndam igitur vim divini Spiritus in Catherina, & illuſtres triumphos quos retulit, fingite vobis celeberrimam diſputationem, ad quam prodit illa accerſita in conſpectum totius Alexandrinæ civitatis, & plurimorum ex omnibus gentibus mortalium. Quin enim pugnam detrectet certaminis iniquitatem cauſsata, ubi adverſarii Judices erant futuri, & ubi ſolus numerus victoriam relaturus videbatur, licet illa omnium telis occurreret, generoſe in certamen deſcendit, & in Prætorii aulam ſe contulit. Hoc proculdubio ſpectaculum eſt, quod noſtros oculos, atque animi attentionem expoſcit videre hinc quidem Virginem ſolam ſancta plenam fiducia, verecundam neſcio quo majeſtatis habitu, qui intuentium oculos in ſe convertit, ingredientem, quæ cum Imperatori ſalutem dixiſſet, qui de hujus certaminis eventu timere non poterat, nihil ab eo petit niſi benignas aures, certa ſe cumulatiſſimam victoriam eſſe relaturam; inde vero quinquaginta tam Oratores, quam Philoſophos, ex totius Imperii doctiſſimis viris delectos, ſingulos in profeſſione ſua conſummatos, prima eorum temporum ingenia, flores Academiarum, & totius Orientis oracula; Philoſophos quinquaginta adverſus unicam puellam, qui nihil intentatum relinquunt, ut veritatem impugnent, ac mendacium tueantur. Sancta hæc, quæ jam norat omnem mundi ſcientiam inanem eſſe, cum nonniſi cæca præſumptione ſuffulta eſt, Deum ſollicitat, ut ipſe cauſſam ſuam contra nominis ſui inimicos velit propugnare. Tuum eſt, Domine exclamavit illa, efficere, ut cognoſcant te: tuum eſt in os meum ingerere verba vitæ, ut cæcis his lucem afferam, & his Doctoribus confuſionem. *Auctor recens.*

Eludit captioſas Philoſophorum quæſtiones, evertit ſophiſmata & eos cogit Deum inviſibilem confiteri.

Virgo noſtra cum ad Deum confugiſſet, eique etiam atque etiam certaminis exitum commendaſſet, vix precibus finem fecit, cum Deus, qui illam exaudierat, tantum addidit roboris argumentis illius, tantum illecebrarum nativæ eloquentiæ, ut apud eos, qui nonniſi ex ſenſu Religionem ſuam metiebantur, haud ægre & ſine multo labore veritatem exiſtentiæ inviſibilis Dei probaverit; & ſenſibilia idola, quæ illi ſibi commenti fuerant, everterit. Alii, qui ſuis innitebantur præjudiciis, & Religionis ſuæ vetuſtati, nihilo melius ſuam cauſſam tuentur. Momento obliterat impreſſiones, quas vetus error in eorum mentibus pepererat, eiſque probat illos hactenus mendacio, & errori adhæſiſſe. Fruſtra illam impedire conantur multa interrogationum congerie; fruſtra ſatagunt illam captioſis irretire quæſtionibus; fruſtra adnituntur illius ſolidas reſponſiones eludere vacuis acuminibus: omnes eorum conatus infringit, omnes ſternit difficultates, ſophiſmata evolvit, & viciſſim illos tanta urget vi, ut erroris tenebras diſſipet, & tantam lucem oculis eorum offundat, ut ſplendorem ſuſtinere, & ſpiritui Dei per illius os loquentis minime reſiſtere valeant. Ita illos vincit, & confundit, & fateri cogit...

therina, intra ſe immo exultat gaudio, quia carnifices illi corporis ejuſdem ſacrificium facientes eam reddere debent Filio Dei Salvatori, ac Sponſo ſuo quam ſimillimam. *Sermo Manuſcriptus.*

Cæſar virginem omnibus bonis ſpoliat, & de nobilitatis gradu deturbat.

Fruſtra Catherinam deterrere adnititur Imperator; hæc minas ejus irridet, atque ut ejuſdem importunitatibus ſe liberet, contemptum addit repulſæ. Barbarus ille, cujus impotentia a furore non longe diſtabat, pepercit tamen paulliſper iracundiæ ſuæ pro hac vice, & ſpe illam moræ beneficio mulcendi, diſtulit extrema ſupplicia. Illam bonis patriis exuit, de avitæ nobilitatis gradu deturbat, detrudi jubet in horrentem carcerem, ita ut ad incitas redacta, ſine ope ſine auxilio per otium recogitaret ea, quorum jacturam faciebat pertinaci retinentia, & quæ deinceps ſibi erant expectanda ab ira Cæſaris neglecti, atque contempti. Cæleſtibus procul dubio conſolationibus eguit, ut inter tot minas atque cruciatus fulciretur; qui tamen nonniſi longe crudeliorum tormentorum erant præludia. Beati ſpiritus illam viſitarunt, & Salvator ipſe contra ſæviſſimas pœnas roboravit. *Recens Auctor.*

Auguſta ipſa Catherinam inviſens in carcere ut illā mollibus verbis flecteret, ab eadem vincitur.

Dum Imperator inanem adhuc fovebat ſpem S. Catherinam flectendi. Imperatrix miſerta infortunium præclaræ puellæ tot calamitatibus involutæ, adniſa eſt illam delinire. Facta huic facultas fuit illam inviſendi, ut de gradu eam moveret, & hortaretur ad Principis voluntatem faciendam, quam videtur audiviſſe tantum extrema quæque minitantem, non autem hanc ſibi in uxorem aſſumere cogitantem; non enim fidei congruum videtur, illam conſenſiſſe, ut æquo animo ipſa de gradu decederet. Quomodocumque ſe habeat res, ſi Chriſtiana Virgo labefieri potuiſſet, recens hæc tentatio magis valuiſſet, quam prior; fortitudo quidem adverſus difficultates irritatur: cum miſeratio, benevolentia, & amor, quam hujus dignitatis perſona teſtatur, ſenſim, & ſine ſenſu emollit cor, quod facilius hujuſmodi oppugnationibus cedit; Sed hæc viſitatio longe aliter ceſſit ab eo, quod Imperator cupiebat. Quæ putabat ſe Virginem ad Religionem ejurandam impellere poſſe, convicta fuit de ſuæ religionis vanitate, & errore; & quæ ſperabat, ſe conſecuturam, ut Catherina idolis ſuis thus adoleret, ipſa Sanctæ Virginis eloquentia victa fuit, ita ut Jeſum Chriſtum profeſſa ad Martyrium præceſſerit illi, ad quam acceſſerat, perſuaſura, ne pro Jeſu Chriſti fide mortem ſubiret. *Idem.*

Cæſar omnem induit formam furentis, & amaſii. Catherinæ cōſtantia invicta eſt.

Utrum caſus adeo inopinatus, qualis erat Auguſtæ converſio novum eſſet furoris argumentum Maximino, vos penes eſto judicium. Barbarus ipſe in arena ſtatim ad extremum crudelitatis exceſſum veniſſet, niſi amor, quo Virginem deperibat, effeciſſet, ut recens tentaret artem, quam melius proceſſuram putabat. Igitur de carcere educitur Catherina ut iterum prodeat coram tyranno perdite illam amante, qui minis blanditias miſcet, omnemque movet lapidem, ut illam mulceat: Credit Auguſtæ mortem, cui propter fidem juſſerat obtruncari caput, poſſe quidem illam, hinc perterrefacere oſtendendo illi, quid ſibi expectandum ſit, ſi in ſuſcepto conſilio permanſerit; eamque inde religione liberando, quam virtus ſua ſuggerere potuiſſet, ne nuberet Principi, qui aliam jam haberet uxorem, & ita cum nulla ipſi relinqueretur deliberatio, niſi inter ſolium, & eculeum, delicias atque tormenta, in electione facienda non penderet animi. Tantam vim habet in ſe Cæſar, ut ingenii ſui impetum cohibeat. Orat, jubet, promittit, minitatur; omnia mutuatur lineamenta, & corporis habitus earum cupiditatum, quibus agitabatur; facit quidquid amor, & rabies ſuggerunt illi; nec proficit nihilum; ne punctum quidem movet Chriſtianæ Virginis conſtantiam, quoniam hæc eadem firmitate promiſſiones, atque minas reſpicit, eumque tandem cogit, ut amantis perſonam abjiciat, quam adeo male gerebat, & quæ peſſime decebat illum, ut aliam induat, magis ſuo ingenio conformem: feros enim oculos in eam contorquens, quo aſpectu fortiſſimum quemque perterruiſſet, receſſit non ultra niſi per Prætoriæ cohortis ducem illam allocuturus. *Idem.*

Dux hic fruſtra vias omnes tentat, ut ſanctam dimoveat. Sed hunc quoque Sancta convertit.

Prætorianorum militum Dux ſe domino ſuo ratus callidiorem, juſſus ut videretur tentare Virginem, adhibere voluit quidquid ars mundi periculoſius habet, atque accommodatius ad eas, quæ ſibi minus cavent decipiendas. Contigit vero, ut Catherina & hunc Deo lucraretur, & Martyrem fecerit; quæ res ſupplicium ejus feſtinavit, ne recentes adhuc referret victorias, quæ mortem illius glorioſiorem effeciſſent, ac tyrannum pudore, & confuſione magis, magiſque cumulaſſent. Fidei conſonum non eſt, Sanctam Virginem cum omni ſapientia, & eloquentia ſua tantum profecturam fuiſſe; neque tot tantaque converſionum miracula fuiſſe edituram, niſi ejus fortitudo, & invicta conſtantia vim minime addidiſſet ſermonibus ſuis, & niſi ſanguis, ad quem effundendum præſto erat, robur adjeciſſet verbis illius. *Idem.*

Circumſtantiæ, quæ glorioſam efficiunt S. Catherinæ mortem. Præludia mortis Sanctæ noſtræ alium quēlibet deterruiſſent.

Sanctæ hujus mors præclarum fuit argumentum ſermonum illius ignitorum per quos tot tantaſque converſiones operata eſt; ſed mors præ ceteris glorioſa, quæ non ſolum nullam habuit ſpeciem imbecillitatis, ſed quæ prodigium animi, & fortitudinis oſtendit. Sanctæ hujus noſtræ mors inſigne fuit monumentum veritatis ſermonum, qui præceſſerunt. Glorioſa fuit propter plures circumſtantias, quæ illam concomitatæ ſunt, & aſſeri poteſt hoc fuiſse fortitudinis, & conſtantiæ prodigium, quod illam omnino admirabilem fecit, ſcilicet duratio, varietas & crudelitas ſuppliciorum, quæ paſſa eſt. Duratio quidem nonnihil habet inhumanitatis, quæ innuit odium, & ultionem in ſummo gradu; varietas aliquid habet horroris; ſed crudelitas ipſam ſuperat barbariem. Supplicium ejus diuturnum fuit & per intervalla patratum, quod effecit, ut illa experiretur horrores mortis, quibus audaciſſimorum animus perrerreri conſuevit. Vidit flammis abſumi Philoſophos, erga quos prædicatoris munus exercuit, ut illos ad martyrium fortiter ſubeundum hortaretur. Vidit obtruncari capita Imperatricis, & Ducis cohortis Prætorianæ, qui ad eam fallendam miſſi fuerant. Ejus imaginatio nonniſi teterrimæ mortis imagines illi exhibebat, cum ſe tamquam publici furoris victimam conſideraret; & ſatis intelligebat, quid illam maneret poſt mortem aliorum, quæ nonniſi ſuæ erat præludium. Sed illa hæc ſpectabat omnia animo obfirmato, quin oris ſpeciem mutaret; & cum aliis animum miniſtraſset, ad perferenda cum generoſa conſtantia ſupplicia, ſtans pede in uno ſuum opperiebatur. *Auctor Recens.*

De varietate, ac diuturnitate ſuppliciorū illius.

Cum tandem mortis ejus tempus adveniſſet, duarum horarum ſpatio carnifices tenerum corpus ejus dilaniarunt, quin illius animum labefactarent; produxerunt crudelitatem ſuam, quin fatigarent ejus conſtantiam; neque illi reſpirandi locum reliquerunt, niſi ut ſuas vires reficerent. Nemo unquam diutius pati viſus eſt, quum videbatur ad ſolum ſuppliciorum aſpectum expirare debere, quorum varietas non minus admirabilis fuit, quam duratio. Flagella, & cruciatus, ignes, & eculei, pectines ferrei, omnia uſurpata ſunt, & nihil horum eam perterrefacere potuit. Doloris mutatio quædam ſolatii ſpecies videbatur expertis, ipſam voluptatem in tormentum converti, cum diu nimis illa producitur; ſed cum ab extremo fit gradus ad alterum, & ſupplicium alteri locum facit violentiori; tunc opus eſt divino ſubſidio, ut tot tentationibus reſiſtatur. Hoc Sanctæ Virginis noſtræ conſtantiam inter glorioſiſſimos martyres inſignivit. Facere nequeo, quo minus perhorreſcam tot vobis, ac tam terribilia exhibens tormenta: carnifices ipſi fremebant, & magis, quam illa, pertimeſcebant; & odium, quo populus illius Religionem inſectabatur, prohibere non potuit lacrimas, quas miſeratio doloribus ejus negare non poterat. *Idem.*

Terribilis fuit ſuppliciorum, quæ ſuſtinuit, crudelitas.

Hoc novum fuit admirationis argumentum, crudelitas magis quam barbara ſuppliciorum, quæ Sancta Catherina perpeſſa eſt. Dæmon imperatori, vel tortoribus tradidit novæ molis inventum ad tenerum illud corpus in ſexcenta fruſta ſcindendum. Rota erat ferreis aculeis, acutiſque novaculis præfixa, quæ ſecretis machinamentis, & lento motu, efficere debebat, ut ſimul in omnibus corporis ſui membris pateretur. Videtur ipſa barbaries excogitaſſe hoc inſtrumentum; & hoc a rabie fuiſſe movendum. Mortales omnes horruerunt illud, & oculos in Sanctam Virginem conjecerunt, ut illius conſtantiam, ac fortitudinem intuerentur. Sed oſtendit Deus viſibilem ſuæ potentiæ effectum conterens, atque confringens molem hanc formidabilem, & hoc pacto ingeminans tyranni confuſionem, qui tandem de omni ſpe dejectus fuit quidquam proficiendi, ac fatigatus videndo prout furor, & rabies ſua augebatur, Sanctæ gloriam augeri, juſſit tandem caput illius obtruncari, eamque in immortalis coronæ poſſeſſionem immiſit. *Recens Auctor.*

In Vita & morte Sanctæ Catherinæ omnia ſunt portentis ſimilia.

Omnia in incomparabilis Catherinæ vita miraculoſa fuerunt; & ſi diverſa, quæ ſuſtinet ſupplicia, ſi eorum duratio fuerunt ſævitiæ portenta, triumphans illius mors novum eſt prodigium, & prodigium procul dubio jucundiſſimum omnibus illis, qui deinceps apud Deum opem illius eſſent imploraturi. Statim ac lictor caput ejus abſcidit, effudit lac cum ſanguine ad innuendum profecto puritatem illius non minus illuſtrem fuiſſe, quam martyrium, eamque non minus illi acceptam fuiſſe, quam fidem, quandoquidem utramque pari conſtantia, & eventu propugnaverat. Cæleſtes ſpiritus, qui præliorum ejus, atque triumphi ſpectatores, ac teſtes fuerant, illi parentarunt, ſanctumque illius corpus abſtulerunt, ne impuris manibus attrectaretur, & in gloriæ cumulum concentibus ſuis honorarunt. O Deus! quam admirabilis eſt potentia tua in Creaturarum tuarum infirmitate! Quod enim admiratione dignius prodigium eſt, quam videre Virginem, corpore infirmo, infirmiſque viribus, ſed tuo animatam ſpiritu, ſuffultam, munitamque gratia tua, tuæque ſapientiæ lumine repletam omnes tyrannorum conatus ſuperare! liberam permanere inter vincula, invulnerabilem inter rotas, in dolorum exceſſu invictam, ad mortis conſpectum imperterritam, ita ut hilari animo, & vultu recipiat! quod ſane cordis vim atque firmitatem oſtendit. Per hanc fortitudinem mentis, & cordis Sancta noſtra triumphavit de omnibus inferni poteſtatibus, per reſiſtentiam, qua Imperatori obluctata eſt, de omni mundi ſapientia per victoriam, quam retulit de Philoſophis, & Oratoribus jampridem ad hoc certamen præparatis, de omnibus Mundi divitiis, & honoribus, quos contempſit, deque tormentis omnibus, quæ inconcuſſa conſtantia ſuperavit. *Idem.*

Quomodo & in quo S. Catherinam imitari poſſimus.

Fortem mulierem, quam inventurus Sapiens tot ſe laboribus exercuit, tandem invenimus: utrum vero hæc imitatores ſit inventura, nullus ſcio. Dixi jam fortitudinem eſſe Chriſtianiſmi virtutem; nemo enim verus Chriſtianus eſt, qui paratus eſſe non debeat vitæ ſuæ impendendæ, & ſanguini effundendo pro fide, ac Religione tuenda. Heu! Quamplurimi ſe hoc facturos putant, & profitentur, immo vero cupere

videntur hujus rei faciendæ occaſionem: ſed quidnam diſcrinis intereſt ſive mortem in imagine, ſive in re ipſa intuearis! ibi longe major contradictio eſt, quam videre, illos, qui ſibi ſatis eſſe virium putant ad martyrium ſubeundum, non ſatis habere, ut ſibi vel minimam inferant vim ad alia Chriſtianæ Religionis placita, aliaſque exercendas virtutes, quæ non minus homini Chriſtiano ſunt neceſſariæ, quam fides, & ſine quibus fides ipſa non erit niſi damnationis argumentum. Heu! quomodonam perferemus tyranni minas, qui neſcimus vorare verbum, quo lædimur, injuriam dimittere, contemptum ſuſtinere? Nos, qui vel minimam quidem crucem ferre poſſumus; ut inevitabilia religionis officia obeamus? Gratiam Deo habeamus, quod nulli ſunt amplius Tyranni, qui fidem perſequantur. Tot minis opus non eſſet, neque tanto ſuppliciorum apparatu, ut illam ejuraremus: nam levis cupiditas, honoris ratio, modica voluptas efficit, ut prodamus conſcientiam noſtram, & Dei gloriam negligamus. *Auctor Recens.*

Nunc etiam occurrere poſſunt occaſiones imitandi illam.

Neque deſunt nobis occaſiones imitandi fortitudinem, animumque incomparabilis noſtræ Virginis. Utique nobis in dies ſingulos occurrunt; & honor, modeſtia, pudor qui nobis vitæ ipſi præferendus eſt etiam ſecundum Ethnicæ moralis præcepta in ipſo Chriſtianiſmo fere tot inimicos inveniunt, quot olim in tenebris infidelitatis invenerunt; ſed me confiteri pudet, hic fortaſſe æque modicum fortitudinis inveniri, quandoquidem adeo parum verecundiæ videtur, ſcandalorum autem, atque licentiæ tantumdem. Ad ſcientiam Sanctæ noſtræ adquirendam non equidem vos adigo: non omnes pari ſunt præditi ingenio, ſed illi tantum, quibus Deus impertire dignatur. Neque in controverſiam vocabo, o Matronæ, vim ſpiritus, qua Sancta noſtra prædita fuit, ut hac in re viros præſtare velim; eſto etiam vobis non deſit animi magnitudo, quandoquidem fortiſſimis, quibuſcumque ineundis conſiliis pares eſtis, cum animus in virtutem fertur; ſed hæc ad S. Catharinæ exemplum vobis oſtendenda eſt in tuendo inæſtimabili puritatis theſauro, in quo procul dubio hominibus præſtatis, licet illi non minus teneantur Chriſtianiſmi legibus; & in hoc potiori jure Sanctæ noſtræ virtutem imitari poteſtis. *Idem.*

S. Catherina fuit incomparabile omnium virtutum exemplar, ſed pauci illam imitantur.

Inſignis Sancta noſtra tres magnos invenit obices in ſuæ puritatis cuſtodia, quos ſtrenue ſuperavit; juventutem, pulcritudinem, promiſſiones. Hi tres ſunt ſcopuli vobis evitandi ad illius exemplum, ac inimici tres, a vobis, mulieres, vincendi: Juventus feſtivitatem inſpirat laſcivientem, & nugacem cum propenſione quadam in ſolatia, & voluptates: Pulcritudo mollitiem ſuadet, vanitatem, & quemdam ſuimet ipſius cultum: Promiſſiones autem extremam admovent manum corruptioni cordis, quod jam a reliquis duabus cœpit labefactari. Verum ſi confertis Sanctæ noſtræ juventutem adeo Chriſtiane peractam, & in pietatis operibus exercitam cum ea licentia, quam in tot feminis intuemur; nonne fatebimini non deeſſe vobis abſolutiſſimum Sanctæ hujus Virginis exemplar, cujus tamen paucas fideles imagines intuemini? Si animum advertitis ad illecebras, quas illi offuderat natura, omni culpa caruerunt, neque adhibitæ fuerunt, niſi in Dei ſervitium, & ad animas Deo lucrandas, cum interim illæ in temporum noſtrorum adoleſcentulis totidem ſint laquei ad eas perdendas, cumque natura parum benigna illis has veneres negaverit, ad artem ob eumdem finem confugiunt. Ubi vero conſidero tandem Sanctam noſtram tot promiſſionibus, atque mox tot minis tentatam, & intueor tot puellas quæ vim non habent procacis alicujus adoleſcentis promiſſionibus, aut ſollicitationibus reſiſtendi, qui nonniſi dedecus, ac infamiam ipſis inferre poteſt: tunc ajo, fortitudine, & conſtantia opus eſſe ad virtutem hanc tuendam, æque ac ad fidem, ac Religionem ſuſtinendam, quæ ſi deſint, affirmo nullas eſſe amplius Virgines non ſecus ac nullæ amplius ſunt Martyres. Fortitudo hanc ſervat innocentiam, omnes virtutes adquirit, ac tandem cælum aperit, & gloriam meretur immortalem. *Idem.*

Finis Tomi Tertii Panegyricorum.